TOMI I. PARS XII.

REFORMATORII
IN CONCILIO CONSTANTIENSI

DECRETALES
DE
ECCLESIASTICI STATUS REFORMATIONE.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex *vetustissimo Codice MSCto*
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ
VINDOBONENSIS
eruti ab
HERMANNO von der Hardt/
Acad. Jul. Professore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MSCt. VINDOBONENSE
Actorum Concilii Const. Tomo I.

* * *

AVISAMENTA
secundum aliquas
DECRETALIUM
Rubricas
pro
REFORMATIONE CONGRUA
facienda.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HERMANNUS von der Hardt
Lectori S.

EX *gemino Reformatorii Constantiensis Protocollo*, supra *Parte X.* exhibito, satis superq; constat, longâ deliberatione *reformationis articulos* auctos indies fuisse in Concilio, vel ad maturiorem deliberationem plenamq; decisionem repetitos. Ita, ut prioribus quibusdam excussis ac definitis, succederent semper alia, similiter discutienda atque determinanda. *Gerson* enim, *Petrus de Alliaco Cardinalis, Theodericus de Niem, Franciscus Zabarella Cardinalis*, aliique, eam farraginem rerum in Reformatorio Constantiensi explicandarum publico exhibuerant conspectui, ut exinde nova semper in Reformatorio deliberandi succresceret materia.

Quod itaque perampla illa *rerum in Ecclesiastico statu reformandarum* esset seges, non potuit non illustre in Concilio Reformatorium in id quoque sedulo incumbere, ut *justus* atque *aptus* decretis suis Reformatoriis daretur *ordo*. Ut non magis esset *decens conclusionum descriptio*, clarâ, perspicuâ, brevi & concinnâ oratione contexta, quam elegans atque lectori grata, usibusq; accommodata decretorum *series*.

Postquam ergo superioribus Partibus *vota atque monita virorum illustrium* dedimus *de Reformatione in Concilio Constantiensi suscipienda*: Ut & variarum *deliberationum atque conclusionum protocolla* quædam stitimus: Quibus proxime adjecimus scitum *Decretorum de Ecclesiastici regiminis emendatione Compendium*: Ordo & à nobis jam postulat, ut *integrum* etiam aliquod cæterorum *decretorum*, quæ Ecclesiæ Reformationem concernerent, *Systema, in Reformatorio paratum*, exhibeamus.

Siſtimus eo fine hic *Decretalium Reformatorii Conſtantienſis de Eccleſiaſtici ſtatus Reformatione* haud exiguum nec inelegans *Corpus.* Debemus & hoc præclarum Hiſtoriæ monumentum AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSI. Aſſervatum quippe & hoc nobile opus *in MSCto, Parte I. Actorum Concilii Conſtantienſis, à fol.* 55. usque ad *fol.* 83. hoc quidem titulo præmiſſo: AVISAMENTA SECUNDUM ALIQVAS DECRETALIUM RUBRICAS, PRO REFORMATIONE CONGRUA FACIENDA.

Ordinem placuiſſe non inſcitum, ex eo intelligimus, quando capita ſumma ſunt digeſta *juxta Decretalium* in Juris Canonici Corpore *compagem.* Siquidem juxta *quinque Decretalium Libros* Rubricas aut titulos inſtruere, Concilii Aſſeſſoribus ac illuſtribus Reformatorii Capitibus atque præſidibus placuit, de quibus & in Concilio Conſtantienſi actum, canonesq; formati.

Quamobrem haud aptiorem & nos fronti daturos characterem judicavimus, quam ſi *Decretales Reformatorii Conſtantienſis* diceremus.

Neque dubium, tantos Viros, Cardinales, ceterosque omnium Nationum in Concilio præſentium eruditiſſimos atque prudentiſſimos, haberi à poſteris voluiſſe hoc Opus & plenum canonum Syſtema *Juris Canonici priſtini Augmentum.* Ut cum ceteris antiquis Patrum Conciliorumque de Eccleſiaſtico ſtatu *Decretis, Decretalibus*, ac recentioribus *Clementinarum* & *Extravagantium* appendicibus, hi quoque de eodem plane argumento *Concilii Conſtantienſis Decretales*, uno corpore comprehenſi, à poſteris legerentur.

Fidem, atque indefeſſum noſtrum laborem, in eruendis atque eruderandis his antiquis monumentis, præclaris *hiſtoriæ Germanicæ partibus*, non eſt multis efferamus, qui contenti ſumus illorum in orbe literato virorum judicio, qui in MSCtis antiquis legendis atque perſcrutandis fuerunt occupati. Meminerunt illi, quanti conſtet, lituras avorum implexas, quæ vepres ac ſentes referant, non ſine magna oculorum defatigatione inſpiciendas, vix ac ne vix quidem mente explicandas, cominus intueri manibusq; tractare. Quæ abbreviaturarum mira compendia! Quam faciles ſcribentium lapſus! Omnis diſtinctionis perpetuus neglectus! Haud raro plures horas ſibi vindicat unius canonis, ne dicam lineæ integritas. Hebetetur oculorum acies, intenſo ac immoto intuitu. Turbetur animi præſentia dubiâ & fallaci lucis ſpe, in tam denſis ſæpe obſcuræ & remotæ antiquitatis tenebris!

De cetero indicem operis *Decretaliumq; Reformatorii Conſtantienſis* illum hic ſubnectimus, quem in laudato MSCto VINDOBONENSI reperimus.

Rubricæ Primi Libri.

De Rescriptis.	Capitulum unum.
De Consuetudine	unum.
De Electione	octo.
De Ætate, qualitate, & ordine præficiendorum	unum.
De Filiis Prælatorum & illegitime natis.	unum
De Officio judicis ordinarii.	duo
De Majoritate & obedientia.	unum.
De Treuga & pace.	duo.
De His, quæ vi metusque causa fiunt.	unum.

Summa Capitulorum XIIX.

Rubricæ Secundi Libri.

De Judiciis.	duo.
De Sequestratione possessionum & fructuum.	unum.
De Fide instrumentorum	duo
De Jurejurando.	duo.

Summa VII.

Rubricæ Tertii Libri.

De Vita & honestate clericorum.	tria.
De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel in præbenda.	duo.
De Præbendis & dignitatibus.	quinq;.
De Concessione præbendarum, & Ecclesiæ non vacantis.	unum.
De His, quæ fiunt à majore parte capituli.	unum.
Ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.	unum.
De Rebus Ecclesiæ non alienandis.	unum.
De Testamentis & ultimis voluntatibus.	unum.
De Decimis.	unum.
De Statu monachorum & aliorum religiosorum.	XXV.
De Jure patronatus.	duo.
De Censibus, exactionibus & procurationibus.	quinque.
De Consecratione Ecclesiæ & altaris.	unum.
De Celebratione missarum.	duo.
De Reliquiis & veneratione sanctorum.	tria.

Summa LIV. Capitula.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Rubrica Quarti libri.

DE *Matrimoniis.* unum.

Rubricæ Quinti libri.

DE *Accusationibus & denunciationibus.* quinque.
De *Simonia.* tria.
Ne prælati vices aut Ecclesias sub annuo censu concedant. unum.
De *Magistris.* duo.
De *Judæis.* unum.
De *Raptoribus, incendiariis & violatoribus.* duo.
De *Crimine falsi.* unum.
De *Excessibus Prælatorum.* quatuor.
De *Privilegiis.* unum.
De *Pœnitentiis & remissionibus.* unum.
De *Sententia excommunicationis.* unum.

Summa XXII.

Summa summarum C. & II. Capitula.

Refor-

REFORMATORII IN CONCILIO CONSTANTIENSI DECRETALES DE REFORMATIONE ECCLESIASTICI STATUS.

Ex antiquissimo MSCto *AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.*

LIBER I.

TITULUS I.

De Rescriptis.

CAPUT UNUM.

Conservatoriæ Pontificis literæ.

QVia propter *nimiam multiplicationem conservatoriarum Apostolicarum*, Ecclesiis & Monasteriis concessarum, & *Rescriptorum* personalium singularium, etiam pure laicalium, cruce signatarum, quasi totaliter *enervantur jurisdictiones prælatorum inferiorum*, pauperes ad loca remotiora & extra suas civitates & diœceses etiam in causis mere profanis trahuntur cum maximis eorum jacturis & damnis: Idcirco *hac sacra synodus*, volens Prælatorum & suorum subditorum prædictorum *gravaminibus*, in quantum potest, *obviare*, statuit & ordinat: Quod, ut antea, *nulla persona, Ecclesiastica vel mundana*, cujuscunque *conservatoriæ* aut *rescripti* vigore, præterquam in casibus, per felic. record. quondam dominum Bonifacium VIII. *Sexto Decretal. lib. I. tit. 3. De Rescriptis, cap. XI.* expressis, *extra suas civitates & diœceses ad judicium trahi* possit: Nisi partis actricis juramento nec non duorum testium testimonio constet & probetur, eandem partem in civitate aut diœcesi partis reæ justitiam minime consequi potuisse, *propter duos duntaxat casus*, ibidem expressos, videlicet: Si actor reum in civitate aut diœcesi suis secure convenire non possit, quia forte intrare non audet: Vel quia timet adversarii sui potentiam.

Jurisdictioni Prælatorum molestæ.

Ad judicium alienum injuste olim tracti cives à monachis.

Abrogatæ conservatoriæ illæ literæ Pontificii.

Nullusqve in aurea cruce signetur, nec *signatus de sancta cruce* signatorum privilegio gaudeat, nisi per principem, cujus interest, *generale passagium* de facto sit indictum. Post cujus indictionem verò poterunt *quicunque laici cruce signari*, & signati suo gaudere privilegio, usque dum hujusmodi passagium & negotium sanctæ crucis existat consummatum.

Cruce signati ad expeditionē transmarinā.

Et quicunque in præmissis secus aut contrarium fecerit, si *actor* sit, ab actione cadat, si vero *judex*, sic læso satisfaciat competenter, & ab officio per duos menses sit suspensus.

Verum, *in favorem Studiorum generalium, & in eis* præcise *causa studendi*, quam ante litem inceptam per medium juramenti declarare teneantur, *degentium*, hujus constitutionis partem primam ad *conservatorias literas, pro universitatibus studiorum impetratas*, extendi non vult *hac Synodus Sacrosancta.*

Privilegium studiorū Academicorum.

TITULUS

TITULUS II.

De Consuetudine.

CAP. UNUM.

Canonicorum novitiorum onus pristinum.

COrrupta quadam & *perversa consvetudine in quibusdam Ecclesiis cathedralibus & collegiatis* servatur, & tanquam pro lege tenetur, quod quicunque *novellus canonicus* ad præbendam admissus, cujuscunque etiam conditionis, præeminentiæ, literaturæ, dignitatis aut ætatis, *juret*, sicut si velit admitti ipsum jurare oportet, quod *sub jugo Scholastici* illius Ecclesiæ remaneat, quousque ab eodem Scholastico fuerit emancipatus & dimissus: Quo tempore durante, etiam, *quantumcunq; aliàs idoneo*, ad capitulum nullatenus admittetur.

Scholastici inter Canonicos artes pristina.

Quo fit, ut *Scholasticus* tales *novellos canonicos*, præbendatos, ad domum & ad suam mensam vocet, & cogat eos, sibi corpore præbendarum suarum cum quotidianis distributionibus, quæ *præsentiæ* nuncupantur, totaliter & officialiter deservire, tamdiu, donec tales, tanquam *de jugo captivitatis*, *actu* certam & *magnam pecuniæ quantitatem* in modum *exactionis* persolvant, & se redimant.

Res pecuniaria.

Et licet hujusmodi statutum forsan ab initio consvetudinarie ex tali existat introductum ratione, ut *novelli* canonici præbendati, minores & majores in annis, *minus docti* existentes, *apud Scholasticum Ecclesiæ* doctrinam scientiarum, & disciplinam choralem & Ecclesiasticam *addiscere* valeant: Tamen quia *absurdum* est, & totaliter absonum, *quod Doctor & Magister debeat subesse discipulo*, *sapiens* interdum *idiotæ*, & ætate maturus juniori: Idcirco *hoc sacrosanctum concilium* ordinat & decernit: *Tale statutum*, quacunque etiam consvetudine introductum, *ad Doctores*, *Magistros & Graduatos*, ad eos, qui XXIII. annum complete attigerunt, & qui aliàs sacerdotio essent apti, ac etiam ad eos, qui in aliis Ecclesiis per integrum annum capitulares fuerunt, & tractatibus capitularibus interfuerunt, *nullatenus extendatur.*

Doctorũ privilegiũ ne onerentur in principio canonicatus sui. Academicorum Studiosarum privilegium si sint Canonici.

Etiam Scholasticus *juniorem* aliquem *canonicum*, *Generali studio volentem insistere*, nullatenus habeat impedire, vel actu Studio. insistentem revocare: Sub pœnis privationis suæ Scholastriæ, quâ sit, si contra præmissa fecerit, privatus ipso *facto*. Non obstante quocunque *juramento*: Qvod ex nunc, prout ex tunc, *præsens concilium* cassat, & annihilat, & super eo dispensat ad cautelam.

TITULUS III.

De Electione.

CAP. I.

Simonia regnum circa tempora Concilii Const.

UT *pestis Simoniaca*, *ambitionisque & cupiditatis vitia*, quæ *nostris nimium succrevere temporibus*, ab area domus Dei valeant exterminari, & ut sacratissimæ, in divino naturaliqve & positivo juribus fundatæ constitutiones, *de præficiendis Ecclesiarum & monasteriorum Prælatis per viam electionis aut postulationis*, habere possint locum, *hac sacrosancta Synodus Constantiensis* suo decreto revocat, cassat, & *annullat* omnes & singulas *reservationes Ecclesiarrm cathedralium*, *Abbatialium* & aliarum dignitatum electivarum, quæ in Corpore juris non clauduntur. Et quod talibus interea etiam summo Pontifici uti, vel eas iterare non liceat, sine deliberatione & *consensu concilii generalis.* Et quod de hoc imposterum *serventur jura antiqua, de electione aut postulatione* edita.

Prælati Ecclesiarum rite eligendi.

Reservationes Papales rejecta.

Sic tamen, quod de prælaturis & dignitatibus *exemptis*, & sedi Apostolicæ immediate subjectis, *qvoad confirmationes* electionum aut postulationum hujusmodi, *summus Pontifex se intromittere* possit.

Cæteræ vero electiones Prælatorum & dignitatum, per immediatos superiores, ut si Abbas sit, *per Episcopum*, si Episcopus, *per Archi-Episcopum*, & si Archi-Episcopus, *per primatem*, si illum habeat, dummodo, examinatis singulis,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lis, rite secundum sanctiones canonicas, de viris idoneis factæ sint, *confirmentur*.

Nec se alii *superiores*, nisi in defectu inferiorum aut per devolutionem hoc eis de jure communi competat, de talibus intromittant quovis modo, *hæc sacra Synodus* similiter *ordinat* & disponit.

De eodem.

CAP. II.

FOrmis & *modis*, *de eligendo* aut postulando *in jure communi* expressis, servatis aut tentis in suis viribus, illisque manentibus, quibus derogare non intendit: Præterea *hæc sacrosancta Synodus* specialiter super *electione* aut postulatione *prælatorum secularium* præsenti constitutione disponit & ordinat: Qvod adveniente termino, pro electione aut postulatione futuri prælati assignato, & secundum formam juris præfixo, de mane in aurora *celebrari* debeat *solennis missa de Spiritu sancto*, ut per ejus gratiam eligentium aut eligere debentium accendantur & inflammentur corda, ad eligendum aut postulandum *prælatum*, *qui bene*, *utiliter*, *& honeste regere possit & debeat Ecclesiam* sic vacantem.

De Prælatis secularibus eligendis.

Et ut talis *electio* aut postulatio *pura*, *sincera*, *& absque admixtione cujuscunque sinistræ conditionis* perficiatur: *Omnes & singuli*, qui hujusmodi electioni debent & poterunt de jure vel consvetudine interesse, post dictam decantatam missam *ad altare accedant*, & coram positis sacris Evangeliis, per quemlibet eorum manu sua tactis, *coram multitudine cleri & populi* tunc præsentis intrent, simul *legendo juramentum*, quod sequitur in hac forma: *Ego N. Canonicus capitularis Ecclesiæ N. progressus ad jam instantem electionem futuri Pontificis*, *promitto*, *spondeo*, *& juro*, *Deo*, *omnibus sanctis ejus*, *Ecclesiæ nostræ & specialiter sancto A. aut sanctæ N. patrono nostro*, *aut patronæ nostræ*, *pro omnibus*, *prece*, *pretio*, *odio*, *gratia*, *timore*, *carnalique & alia quacunque affectione sepositis*, *& prout in die tremendi finalis judicii altissimo de hoc reddere velim rationem*, *eligam aut postulabo*, *in futurum dictæ Ecclesiæ Pontificem illum*, *quem singulis attentis cognovero magis idoneum*, *& habilem*, *in Spiritualibus & temporalibus sufficienter circumspectum*, *sic me Deus adjuvet*, *& chorus sanctorum Angelorum*.

Qvæ omnia, nisi, ut præmittitur, facta sint, sit *electio* aut postulatio subsequens *ipso jure nulla*, nulliusque roboris vel momenti.

De eodem.

CAP. III.

STatuit & ordinat etiam *hæc sacra Synodus*: Qvod si quis *vocales* aut *literarias preces*, quorumcunque Principum, Ecclesiasticorum, secularium, aut aliorum potentum quorumcunque, aut propter consangvinitatem vel aliàs *Simoniam sapientes*, aut propter potentiam deprecandi, *impressionem*, pro sua electione aut promotione ad Episcopatum, Abbatiam, vel aliam dignitatem electivam, *impetrare*, uti, aut probare, imo expresse non contradicere, & statim, cum poterit, electoribus seu promotori aut provisori contradictionem suam non intimare, præsumserit: *Electio* illa aut promotio *nulla sit*, & ipse ad Episcopatum, Abbatiam vel dignitatem prædictas ea vice sit inhabilis, ipso jure. Cum hujusmodi *preces* vel *sapiant Simoniam*, aut cum à potentioribus ingeruntur, metum & tacitam impressionem inducant, quæ à canonica electione esse debent penitus alienæ.

Preces Simoniacæ in electione Ecclesiasticorũ.

De eodem.

CAP. IV.

PRæterea omnibus capitulis & conventibus Ecclesiarum & monasteriorum, quorum de jure aut antiqua consvetudine est, suos prælatos eligere, *hoc sacrum concilium* districtius & sub excommunicationis pœna mandat & præcipit, quatenus *prædictam constitutionem de cavendis precibus & promissionibus*, nec eis utendis, inter cætera ipsorum statuta capitularia seu conventualia, quæ de novo capitula seu conventus intrantes jurare consveverunt, de verbo ad verbum ponant, atque scribant. Et quod quilibet talis de novo admittendus juret ad sancta Dei Evangelia *prædictam constitutionem* tempore vacationis occurrente observare fideliter, secundum posse & nosse suum. Ut omnes taliter astricti, perjurii interdictum magis formidantes, discant *hujusmodi preces, & importunas instantias*, quæ canonicæ electioni impedimenta plura præstant, *devitare*.

Preces aut promissiones ab electione absint.

De eodem.

CAP. V.

DIsponit & ordinat insuper *hæc sacra Synodus*, quod quilibet *Prælatus Ecclesiasticus*, habens subditos electos confirmare, habeat secum *juramentum* conscriptum in forma, quod Ecclesiarum & monasteriorum prælati Apostolicæ sedi præstare tenentur, quod *confirmandus* ante suam confirmationem, in manus confirmantis, & coram eo præstare, & ipse *confirmans* sub publico documento ad Apostolicam sedem mittere teneantur.

Juramento obligandi novi Ecclesiastici ante confirmationem.

Quod quidem juramentum si *electus* præstare noluerit, aut recusaverit, sit ipsa sua *electio*, aut, si ipse, qui *confirmatur*, ex occasione quacunque tale recipere noluerit, aut non receperit, sit similiter ipsa subsequens *confirmatio* ipso jure *nulla*, nulliusque roboris vel momenti.

Similiter etiam idem *confirmandus* immediate *post* sui *confirmationem* sufficientem *cautionem* faciet *de satisfaciendo camera Apostolicæ de taxa*, illi Ecclesiæ vel monasterio imposita, vel de posito moderamine imponenda, infra duos annos per duas medietates, *post tempus pacifice adeptæ possessionis*.

Ecclesia taxa Romanæ cameræ solvenda.

Super quibus idem confirmator *gentes Apostolicæ cameræ*, aut collatores ejusdem in illis partibus certificare tenebitur. Sic tamen, ut Ecclesiarum & monasteriorum *taxæ*, *hactenus satis excessivæ*, moderentur secundum tertias, quas Ecclesiæ aut monasteria habere censentur, communi æstimatione, importatis. Ut *non solvant* de toto *nisi tertiam*.

Taxæ excessivæ moderandæ.

Et hujusmodi *taxas* per modum *caritativæ subventionis papalis* usqve ad *proximum futurum generale concilium hæc sacra Synodus* pro restauratione sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedit duntaxat duraturas, & *non ultra*. Nisi id fieret de expressis voluntate & assensu dicti concilii affuturi.

Taxæ illæ ad breve tempus concessæ.

De eodem.

CAP. VI.

INsuper ad evitanda *vacantium Ecclesiarum* dispendiosa *pericula*, nec non ad consulendum electis, qui in eo per viarum incommoda & expensarum onera nimis gravarentur, ordinat & *decernit hæc sacra Synodus*, quod concorditer, nullo discrepante, Primas, Archi-Episcopus, Episcopus aut Abbas exemtus, *electus*, & qui Apostolicæ sedi est immediate subjectus, *non in propria*, *sed*, si placet,

Confirmatio novi Episcopi per Commissariũ à Papa peti potest.

placet, ut in suorum *procuratorum*, de omnibus & singulis meritis electi & electione sufficienter informatorum *persona*, à summo Pontifice poterit *petere* & obtinere *confirmationem* suæ electionis nec non commissionem suæ consecrationis, traditionis, pallii, aut eminentis benedictionis.

Quæ omnia summus Pontifex illi concedere teneatur, nisi aliud legitimum aut canonicum contra personam promovendam aut ipsam electionem impedimentum obsistat: Constitutione quæ incipit: *Cupientes*, *Sexto Decretal. lib. I. tit. VI. c.* 16. & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

De eodem.

CAP. VII.

ITem, quia quidam *Canonici*, Capitulares, nec non conventuales Ecclesiarum cathedralium & regularium, pœnas & censuras, per *fel. record. Dominum Bonifacium Papam VIII.* quæ incipit: *Quia sæpe*, *Sexto Decretal. l.* 1. *tit.* 6. *de Electione*, *c.* 40. fulminatas, nullatenus formidantes, quas per futurum eorum eligendum tolli sperant, vacantibus eorum Ecclesiis & monasteriis, *jocalia*, *clenodia*, *pecunias & bona cætera*, à Prælatis eorum defunctis seorsim habita & dimissa, vel etiam tempore vacationis obvenientia, *occupant*, *inter se dividunt*, & surripiunt, dilapidant, dissipant & consumunt, ea nullatenus in Ecclesiarum & monasteriorum utilitatem convertendo, nec successoribus reservando: Idcirco ne hujusmodi *vulnus cupiditatis* sub multis medicis amplius incurabile computetur, aggravando pœnas constitutionis prædictæ *hæc sancta Synodus* decernit & ordinat, quod tales præsumtores, si suspensionis ab officio & beneficio sententias sine facta restitutione per quindecim dies animo sustinuerunt indurato, sint eo facto post lapsum dictorum quindecim dierum suis privati beneficiis, quæ obtinent, & inhabiles ad habenda.

Canonici defunctorum suorum Prælatorum bona ne diripiant.

De eodem.

CAP. VIII.

PRædicta quoque *sancta Synodus statuit* & ordinat, quod quilibet *electus & confirmatus ad aliquam cathedralem* aut *abbatialem Ecclesiam* aut monasterium, si post adeptam possessionem pacificam & quietam, videlicet sine competitore quocunque acquisitam, vel per eum steterit, quo minus illam taliter habere potuisset, si *se infra tempus à jure statutum consecrari aut benedici* non *faciat*, eo facto sit ille etiam ab abbatia privatus, & inhabilis ad eandem, Apostolica dispensatione quacunque non obstante.

Idem fiat de *inferioribus Prælatis*, ut Archidiacono in diaconum, & Archipresbytero & decano in sacerdotem promovendis.

Sintque omnes & singuli talium *Prælatorum*, ut præmittitur, *non promotorum* subditi, vasalli, homines, vel subjectæ civitates, & oppida, lapso dicto termino ab omnibus, quæ præstiterunt, fidelitatis juramentis absoluti.

Super quibus & *hæc sancta Synodus* ex nunc prout ex tunc dispensat ad cautelam, mandans, tales subditos, vasallos, homines, civitates & oppida pro tunc *illis* obligari, quibus tempore vacantium taliter obligari consveverunt.

Novi Episcopi maturè consecrandi.

TITULUS IV.

De ætate & qualitate ordinandorum aut præficiendorum.

CAPUT UNICUM

QVia modernis temporibus ex dissimulatione aut negligentia Prælatorum, & interdum, quod pejus est, *simoniaca interveniente pravitate*, ad sacros ordi-

De indignis ad munera sacra promotis.

ordines *promoventur pueri, idiotæ*, aut aliàs *indigni:* Ideo statuit & *ordinat hoc generale concilium*, ut ultra alia *jura*, quæ *de ætate & qualitate præficiendorum* existunt, per sanctos Patres instituta, ipsorumque censuras & pœnas, *Episcopus, ex cujus facto vel commissione* hujusmodi *indigni promoventur*, ab administratione suæ Ecclesiæ tamdiu sit *suspensus*, quousque ab Apostolica sede duntaxat, post condignam satisfactionem, restitutionis beneficium mereatur obtinere.

TITULUS. V.

De filiis presbyterorum, & illegitimè natis, præficiendis, an non.

CAPUT UNUM.

Ab officiis Ecclesiasticis spurios esse excludendos.

CONsequenter decernit, statuit & *ordinat hæc sacra Synodus*, quod illegitime nati, & maxime *filii presbyterorum, nullatenus* ad prælaturas, etiam inferiores, aut canonicatus & præbendas in cathedralibus, vel ad dignitates principales in collegiatis Ecclesiis, quacunque dispensatione Apostolica non obstante, *admittantur*, nisi tali ac tanta *virtutum, morum ac scientiarum eminentia præfulgeant*, ut, si sint *ex illustribus nati*, aut *doctores in sacra pagina, jure canonico vel civili*, vel nisi singulare id sit in patria, ubi ex hoc scandalum non oriretur.

In quibus *casibus*, habito Apostolicæ dispensationis privilegio, admitti possunt. Et si secus actum fuerit, sit irritum ipso facto.

TITULUS VI.

De officio judicis ordinarii.

CAPVT. I.

De Juris dictione Ecclesiastica exercenda.

CONtra *Prælatos*, qui suas Ecclesiasticas jurisdictiones in locis quasi campestribus, non insignibus, ac litigantibus intutis, exercent, *statuit hoc generale concilium*, & mandat generaliter, ut universi Prælati suas jurisdictiones, per generales suos judices exerceri solitas, non nisi *in locis insignibus* & notabilibus, ubi copia jurisperitorum & advocatorum commode habeatur, exerceant.

Alioquin citati venire non teneantur, sententiæque latæ nullius sint roboris vel momenti.

Et sit prælatus secus faciens ipse ab officio divinorum suspensus tamdiu, donec attentata revocet, & læsis ex insecuritate loci, aut jurisperitorum defectu, satisfaciat competenter: Constitutione *felic. rec.* quondam *Bonifacii* VIII. quæ incipit: *Cum Episcopus, Sexto Decretali. lib. 1. tit. 16. c. 7.* & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

De eodem.

CAP. II.

De judicibus in causis Ecclesiasticis.

DIstrictissime mandat & *præcipit hæc sacra Synodus* Prælatis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiasticam jurisdictionem habentibus, ut *judices & officiales* non præficiant, nisi *viros in jure peritos*, si habere valeant, atque viros *justos, conscientiosos, Deum timentes, & justitiam diligentes, & nullatenus uxoratos*, qui ad minimum de consilio jurisperitorum sententias ferant, & ordinate procedant.

Si dicti prælati, Archidiaconi, presbyteri & Archipresbyteri *idiotas, exactionatores*, suos familiares, aut uxoratos, vel alios inhabiles præficiant, sint tam ipsi præficientes, quam ipsi *officiales & judices* excommunicati ipso facto. Et nihil-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nihilominus in proxima Synodo sequenti, & secundum ejus deliberationem, pœnis aliis, prout opus fuerit, & qualitas delicti exegerit, puniantur.

TITULUS VII.

De majoritate & obedientia.

CAP. UNUM.

In regimine Ecclesiastico obedientia inferiorum necessaria.

QVia *in regimine Ecclesiastico*, & præsertim choragi & caplani *necessaria* est *obedientia*, qua inferiores veluti subditi superioribus suis reverenti quadam obligatione uniantur: Ideo sub pœna suspensionis à fructibus beneficiorum suorum, *mandat hoc sacrum concilium* omnibus ejusdem Ecclesiasticis, canonicis & vicariis, quatenus subessendo unico *Decano*, in licitis & honestis obedientiam eidem præstent manualem, & sibi in talibus pareant cum effectu.

TITULUS IIX.

De treuga & pace.

CAPUT I.

De pace Ecclesiastica servanda.

QVia propter *Usurpationes Ecclesiasticarum prælaturarum* & dignitatum, ad Apostolicam sedem heu! tanta inter Ecclesiasticas prælaturas & dignitates, & suorum prælatorum post illa tempora diversitas accidebat, ut nec primas Archi-Episcopum, nec Archi-Episcopus Episcopum & coëpiscoscop' suffraganeos suos, nec è converso, ullatenus recognoscerent, se in Ecclesiastica libertate tenenda simul cernerent, aut mutuo defensarent, imo, quod deterius erat, interdum ad complacentiam laicorum se mutuo guerris & bello impeterent: Idcirco, ut *in Ecclesiastico statu* firmior & securior *pax & tranquillitas* valeat solidari, statuit & *ordinat hac generalis Synodus*, quod in proximo *provinciali* celebrando *concilio* omnes & singuli comprovinciales prælati pro defensione & manutentione *Ecclesiasticæ libertatis, assistentiæ* & fidelitatis ad invicem sibi mutuo præstent *juramenta*, nec non auxilii mutui in omnibus, quæ in generalibus aut etiam in provincialib' conciliis observanda concludentur.

Providebitque quilibet metropolitanus, primas, aut ArchiEpiscopus in futurum, quod quivis electus confirmandus in sui confirmatione ultra *fidelitatis juramentum*, quod in licitis & honestis suo confirmatori præstare tenebitur, jurabit prædictam *assistentiæ & fidelitatis comprovincialium ad invicem*, pro defensione & manutentione Ecclesiasticæ libertatis, nec non omnium & singulorum in generalibus & provincialibus conciliis determinatorum aut determinandorum immutabilem & perpetuam unionem.

Juramentum fidelitatis.

Juramentum assistentiæ.

De eodem.

CAP. II.

Ferrum non debetur Ecclesiasticis sed verbũ.

CUm *gladius spiritualis magis appropriatus sit Ecclesiarum prælatis*, ex eò quod *Christi militibus offensive pugnare non liceat*: Ideo *hæc sacra synodus decernit* & declarat, quod nihil minus Ecclesiasticus prælatus, ut antea, guerras diffidatorias & invasorias incipiat, aut bella indicat quovismodo, contra quemcunque Ecclesiasticum aut secularem: Nisi hoc faciat vel autoritate superioris principis, vel nisi prius sententialiter per censuras Ecclesiasticas, sine emendationis & correctionis profectu, suum invaserit & vicerit offensorem.

Quod si per quenquam Ecclesiasticum prælatum secus actum fuerit, sit eo ipso suspensus à divinis tam diu, donec à solo summo Pontifice absolutionis beneficium mereatur obtinere.

TITULUS IX.

De his, quæ vi, metusq; causa fiunt.

CAPUT UNUM.

Clericorũ invasores.

CUm nonnulli, clericorum, *Ecclesiasticarum personarum, invasores & captivatores*, excommunicationis & aliarum censurarum Ecclesiasticarum sententiis innodati, secundum formas expressas à jure, ac plus communionem fidelium quàm subtractionem sacramentorum formidantes, *ingeniis* utantur *cautelosis*, ut videlicet ipsos captivatos, injuriatos aut invasos clericos aut personas Ecclesiasticas, per injurias, violentias, & captivationes *secrete compellant*, post factam compositionem eis *absolutionis beneficium procurare:* Ut pridem injuriis & violentiis affecti, in hujusmodi procuratione absolutionis amplius prægraventur: Quas quidem extortas absolutiones, licet male, viribus evacuent, & extorquentes excommunicatione nova percellant: Cumque simpliciores tales denuo excommunicatos ut habita priori absolutione sine nova denunciatione non vitent velut tales: Ideo, ut talium *cautelis* per salubris provisionis remedium *obvietur*, decernit & *ordinat hac synodus sacrosancta*, quod nullus talium invasorum aut captivatorum, ut antea, à talibus ab homine vel à jure sententiis latis absolvatur quovismodo, nisi talis coram suo absolutore ordinario, delegato vel subdelegato constitutus ad sancta Dei Evangelia juret, in talibus nullas minas, violentias aut impressiones in personam, res, bona, aut amicos injuriati aut captivati clerici verbales, facto, per se, vel alium, publice vel occulte, directe vel indirecte, fecisse, quovis modo.

Artes invasorum.

Et si quod *juramentum* ab injuriato & captivato clerico extorsisset, quod illud ante omnia relaxet. Et super eo etiam *hac sancta synodus* ex nunc, prout ex tunc dispensat ad cautelam.

Hæc de titulis primi libri scribenda occurrebant.

LIBER II.

TITULUS I.

De Judiciis.

CAP. I.

Ecclesiastica jurisdictionis abusu.

QUia *Ecclesiastici prælati inferiores*, ordinariam aut delegatam jurisdictionem de jure aut de consuetudine habentes, in judiciis & eorum processu *nimiam & excessivam iniquitatem* servant: Sine quocunque decreto, aut ad nullius instantiam, facti variatione prætermissa, in quibuscunque casibus, indifferenter, citatione omittunt varios & varias, imo, quod pejus est, ipsis ignorantibus tales omittuntur; Una & eadem vice, & per eundem nuncium, ad eundem locum unum, de una tantum sicut de alia, æquale *viaticum*, seu *bravium*, & sic *pecunias ultra debitum multas extorquent:* Procuratores quoque & notarii terminos suos, etiam in causis parvis imo & minimis, in longum ducunt, *Ecclesiasticæ* etiam *absolutionis beneficium*, quod est pure spirituale, *ex pacto vendunt pro magna summa quantitate*, & interdum majore, quam sit principale: Pauperes insuper, currendo, recurrendo, labores & expensas faciendo, nec non in utiles eorum labores negligendo fatigantur & depauperantur: Ut, non invento loco, contra statum Ecclesiasticum materiam habeant ex odio gravissime sæviendi, cum subditi eorum per *inordinatam Ecclesiasticam censuram* tam inhumaniter pertractantur: Quo fit, ut hujusmodi potentes laici nuncios, hujusmodi literas deferentes, submergunt, per-

cutiun-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cutiunt, contumeliis afficiunt, auribus mutilant, & mandata crudelia clericis curatis & non curatis faciunt, videlicet de non recipiendo literas nisi in ambone vel cancellis: Ex quo gravissima scandala oriuntur: Idcirco, (ut *judicium Ecclesiasticum, & seculare* huic etiam ex adverso, *suis terminis limitentur*, limimitata distinguantur, ac distincta *in hoc sacro concilio publicentur*, in finem, ut ipsa cognita errorum & dissensionum prædictorum & prædictarum materiam exterminando valeant amputare,) *statuit & ordinat hæc sacra Synodus*: Quod ad *Ecclesiasticum judicem*, & ejus judicium primo spectare deberent omnes & singulæ *causæ beneficiales*, etiamsi sint de jure patronatus laicorum; deinde omnes & singulæ *causæ personarum Ecclesiasticarum*, tam injuriarum, quam aliæ quæcunque communiter; causæ *bonorum Ecclesiasticorum*, quarumcunq; possessionum, decimarum, immissionum, obventionum, redituum, & proventuum per eos possessorum quorumcunq;, & debitorum, ex his cum quibuscunq; contractorum; item causæ *decimarum* causæ *matrimoniales*, causæ *dotium* & *donationum propter nuptias*: Item causæ *viduarum, pupillorum* & aliarum *miserabilium personarum* quarumcunq;: item causæ *hæresium, schismatum*, nec non aliorum *publicorum criminum*, ut *usurarum*, *adulteriorum*, *fornicationum & perjurii*, quæ per judicium seculare non corriguntur, vel sub dissimulatione tolerantur, cum omnibus suis appendentiis, dependentiis, incidentiis & connexis; item omnes & singulæ causæ, etiam quantumcunque civiles & profanæ, ubi *contrahentes Ecclesiastico se judicio voluntarie submiserunt*; item causæ *rerum confessatarum coram judice Ecclesiastico*; item causæ etiam *civiles*, *in quibus in seculari judicio justitia fuisset denegata*, vel ad terminum sex mensium prorogata, aut, si Dominos vel judices illius secularis judicii tanquam reos ipsa causa concerneret, quæ omnia per medium interpositum juramenti partis actricis cum duorum testium fide dignorum depositione probari possint & debeant; item omnes causæ *testamentaria & donationum* in terminis *spiritualiter*, ubi quidpiam *ad pias causas* est donatum vel legatum. Quæ omnia *ad Ecclesiasticum judicium* & nullatenus ad forum judicii secularis trahi debent.

Judiciũ Ecclesiasticum & civile suis utrũq; terminis concludendum.

Ecclesiastici judicis negotia.

Sed ex adverso ad *judicium seculare* spectare deberent omnes & singulæ causæ *bonorum* omnium, tam mobilium quam immobilium, *hæreditario jure possessorum* aut possidendorum, cujuscunq; nominis censeantur, quæ saltem non sunt ad pias causas legata, donata, aut per personas Ecclesiasticas, tanquam ad eorum beneficia Ecclesiastica pertinentia possessa: Item omnes & singulæ causæ *actionum*, occasione contractuum jure civili inter personas laicales motarum aut movendarum, ut sunt causæ *emtionum, venditionum, locationum, emphyteosium, pignorationum, mutuorum, &* quorumcunque *debitorum pecunialium*, & aliorum, inter personas laicales contractorum: Item causæ de directo vel indirecto respicientes *pœnam sanguinis, injurias* & *violentias* inter personas laicales perpetratas & commissas.

Civilis judicis officia.

Ordinatque hæc sacra synodus, districtissime prohibendo, *ne Ecclesiasticus judex*, ad instantiam partis procedere volens & debens, *quenquam clericum vel laicum citet*, aut citari mandet, nisi prius pro tribunali sedens querelam partis actricis verbo vel scripto per supplicationem audiens, & an in judicio Ecclesiastico vel seculari tractanda sit, examinans, coram notario & testibus citationem hujusmodi decernat. Et tunc consequenter procedat, in quantum brevius poterit, partes in expensis non gravando.

Si autem reperiatur ex defensione partis reæ, vel aliter, causam, per citationem aut aliàs intentatam, ad Ecclesiasticum judicium non spectare, judex talis partem alteram in expensas in hujusmodi causa satis condemnabit, & si petitur, ad judicium remittet seculare.

Insuper *Ecclesiasticus judex* post latam sententiam *expensas litis* tali moderamine taxet, sicut de hoc altissimo in die tremendi judicii reddere velit rationem.

Consequenterque *excommunicatos injuste*,

juste, sine quacunq; satisfactionis emenda, & *gratis absolvat.*

Absolvendis quoque *juste excommunicatis* pro modo culpæ spirituales injungat emendas. Vel si tales *mulctâ pecuniariâ* punire decreverit, talem pecuniam Ecclesiasticus judex tam evidenter *in pias causas convertat*, ne de spiritualis absolutionis beneficio ex iniqua cupiditate *& sibi imbursando* simoniacæ pravitatis vitium videatur commisisse.

Quod si per quenquam *Ecclesiasticum judicem* secus aut in contrarium agi vel attentari contingat, ille *in synodo sequenti* & proxima accusatus, aut per inquisitionem talis repertus, usque ad privationem omnium beneficiorum & officiorum inclusive, & inhabilitatem ad habenda, *autoritate hujus sacri concilii*, districtissime & sine spe veniæ taliter corrigatur, quod cæteris cedat in exemplum.

De eodem.

CAP. II.

DIstinctis & ordinatis capitulis, quæ videlicet causæ ad *Ecclesiasticum forum* divisum pertineant, & de quibus cognoscere & definire *Ecclesiasticus judex* habet: *Injungit hæc sacra Synodus*, Ecclesiam Dei militantem repræsentans, *Serenissimo Principi, Domino SIGISMUNDO, Dei gratia Romanorum, Hungariæ &c. Regi semper Augusto, ipsius Ecclesiæ advocato*, in virtute obedientiæ filialis, quatenus sua Celsitudo Regalis *districte præcipiat* omnibus & singulis Ducibus, Marchionibus, Landgraviis, Burggraviis, Comitibus, Baronibus, militibus, militaribus, clientibus, comitatibus, civitatibus, oppidis, villis, & quibuscunque eorum potestatibus, & judicibus, laicalibusq; personis quibuscunque, ut sub *pœna regiæ offensæ & banni imperialis* jurisdictionem Ecclesiasticam, taliter, ut præmittitur, ordinatam, ut anteà non impediant, inquietent aut molestent, sed eam per nuncios, advocatos, procuratores, notarios, imo & ipsius judices promoveant & defendant. Quod si secus fecerint, probato facto *coram regia majestate, indignationem regiam, & imperialis banni*, nec non canonicas Ecclesiasticarum censurarum pœnas incurrisse eo ipso dignoscuntur.

Jurisdictio Ecclesiastica non turbanda.

TITULUS II.

De sequestratione fructuum.

CAP. UNUM.

QVia quidam locorum Ordinarii *fructus beneficiorum Ecclesiasticorum*, pro quibus inter litigantes lis pendet indecisa, tempore hujusmodi litis *sibi imbursare* procurant, nihil evincenti beneficium restituendo: Ideo, cum hujusmodi consvetudo, vel potius corruptela, animabus perniciosa, & sacris non immerito sit canonibus inimica, *hæc sancta Synodus* sub pœna suspensionis à divinorum officiis, quam incurrant eo facto, *decernit & ordinat*: Quod, nisi interveniat talis constitutio fel. rec. quondam Domini *Clementis V. Clementinar. lib. II. tit. VI.* Quo casu dicta constitutio servetur: Locorum Ordinarii vel possidenti & regenti beneficium hujusmodi fructus cedere permittant, aut, si neuter possideat fructus ejusdem beneficii, per duos idoneos presbyteros vicinos diligenter recolligi, & cum debita cura regiminis effici & expediri procurent, usque ad decisionem litis. Quo facto, si quid superest, evincenti beneficium restituant integraliter & complete.

Imbursare.

TITULUS

TITULUS III.

De fide instrumentorum.

CAP. I.

QVoniam *notarii & tabelliones publici* adeo per mundum sunt multi perlati, ut in tanta multitudine plurimi in ejusmodi officio *levissimi idiota, & totaliter*, nedum *in graeco*, sed & *in stylo notariatus* reperiantur *ignari, subscribentes interdum, quæ nesciunt*, nec intelligunt quovis modo: Cujus occasione fit, quod instrumentis publicis quamplures laici nec in judiciis nec extra judicia tanquam legitimis probationibus stare volunt: Idcireo in singulis civitatibus & diœcesibus tam Apostolica, quam imperiali autoritate, locorum Ordinariis, *annuente Serenissimo & Invictissimo Principe, Domino SIGISMUNDO, REGE semper Augusto*, hoc *sacrum Constantiense concilium* præsenti ordinatione committit, quatenus assumtis sibi viris intelligentibus, & literatis, omnes & singulos *notarios publicos & tabelliones* diligenter examinent, tam *in scientia*, quam *in moribus*, & cujus autoritate, qualiterque existant instituti, dignosque & autoritatem habentes approbent, indignos & autoritate carentes abjiciant, & officiis eorum privent, inhibeantque *hujus sacri concilii autoritate*, ne taliter privatorum instrumenta in judicio vel extra stent quovismodo.

Notarii imperiti.

Notarii examinandi quoad scientiam & mores.

Et idem fiat *in Romana curia*, ubi talium multitudo convenit. Et forsitan reparabiles existunt plus suspecti.

De eodem.

CAP. II.

ABusioni certæ: Qva quidam *Scabini, consules & judices seculares* in judicio seculari magis stare volunt testibus literis privatis, etiam uniusfolius honesti viri sigillo sigillatis, aut etiam juramento partis, quam instrumentis publicis, sed debita forma subsignatis & subscriptis, imo si alicujus sigilli non sit munimine roborata, talia abjiciunt & refutant: Volens *hæc sacra Synodus* obviare, accedente *consensu Serenissimi & Invictissimi Principis, Domini SIGISMUNDI, ROMANORUM REGIS semper Augusti*, hæc *sacra Synodus decernit & ordinat:* Nisi de expressa falsitate, aut ipsius suspicione in instrumento producto appareat, ipsi instrumento, secundum quod jura canonica & leges sacræ determinant, stetur, tanquam aliis legitimis documentis.

Instrumẽta publica olim in foro civili postposita.

Qvod si per quoscunque judices seculares secus actum sit, ita quod hujusmodi instrumenta publica refutentur absque causa legitima, ad sententiam procedatur, judicatum non teneat. Et *Ecclesiasticus judex* poterit hujusmodi processum retractare, si per partem ad hoc fuerit requisitus, & consequenter procedere, prout secundum Deum, justitiam & rationem fuerit procedendum: Consvetudine & municipali jure non obstantibus quibuscunque.

TITULUS IV.

De jurejurando.

CAP. I.

QVia in quibusdam partibus *canonici capitulares* aut *personæ conventuales*, in electione, postulatione aut admissione suorum prælatorum quædam statuta & consvetudines ipsis prælatis proponunt, & ab eis exigunt juranda, & interdum sigillorum suorum munimine roboranda, quibus illi canonici & personæ conventuales se nituntur *à suorum prælatorum jurisdictione* & obedientia, imo & interdum sui Decani, *eximere, ut eo libertus suas exercere vanitates*, & se minus vel in nullo aptas seu habiles ad officia valeant ingerere, ad quæ bona conscientia promoveri non deberent, cum ad illa bene reperiantur aptiores;

Canonicorum artes.

aptiores: Idcirco *hæc sacrosancta Synodus* hujusmodi statuta, & præsertim, quæ illicita, inhonesta ac impossibilia sunt, aut quæ sine salutis æternæ interitu servari neqveunt, cassat, irritat, & annihilat.

Et si illa ex quacunque occasione facta videantur, & *jurata* sint, super his ex nunc prout ex tunc ipsum *concilium dispensat* ad cautelam, nolens quemcunque prælatum per hujusmodi juramenta ligari quovis modo.

Et quod deinceps jurans in fine semper annectat hæc verba: *Has, quas juravi, consvetudines & statuta, intelligo, in quantum justa, possibiles, & honesta, justa, possibilia & honesta sunt, & etiam bona conscientia de facto & de jure poterunt observari.*

De eodem.

CAP. II.

Conspirätes ante electionē.

CONtra *conspiratores* & se mutuo confœderantes & colligantes interpositione juramenti *ante aliquam electionem* canonicam, in electionibus faciendis, admittendis prælatis, aut aliis quibuscunque negotiis, contra obedientiam suorum superiorum, & canonicas sanctiones, ut etiam tales interdum sententiis definitivis, quæ in rem transiverunt judicatam, se de facto conarentur opponere, *decernit hoc sacrum concilium* pœnas graviores, ut privationis beneficiorum obtentorum, & inhabilitationis ad obtinenda. Qvia & id conspirationis criminosæ qualitas exigit & requirit.

Qvas pœnas, nisi moniti se ad invicem à talibus juramentis absolvant, infra quindecim dierum spatium, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, & reliqui quinque dies pro tertio & peremtorio termino, & canonica monitione præmissa, eis assignentur, incurrant eo ipso.

Et hæc prædicta capitula in titulis secundi libri Decretalium scribenda occurrebant.

LIBER III.

TITULUS I.

De vita & honestate Clericorum.

CAP. I.

Canonicorum vita.

CUm *Canonici*, à canone sive regula dicti, in statu clericali vel Ecclesiastico, cæteris regularius & *devotius normam* debeant *præbere vivendi*, qvorum tamen *aliqui nimis laicaliter*, imo *irregulariter viventes*, nec tonsuras clericales, inter clerum & laicum discretivas, nec habitum deferant clericalem: Ideo *statuit & ordinat hæc sacra Synodus*, sub pœna suspensionis à perceptione suarum præbendarum, & quotidianarum distributionum, quæ *præsentiæ* nuncupantur, inhibendo omnibus clericis, in quibuscunque ordinibus & præsertim majoribus constitutis, *ne aliqui* eorum *tempore divinorum sine veste clericali* decente, nec nimis longa vel nimis brevi, aut etiam absque tonsura clericali, secundum correspondentiam suscepti ordinis sufficienter magna, Ecclesiam intrare, aut etiam chorum eisdem temporibus sine causa rationabili, & absque licentia Decani, aut in ejus absentia prælati aut canonici Senioris, exire præsumat quovis modo, sub pœna suspensionis antedictæ, à qua ante lapsum triduum nullatenus relaxetur.

Qvod si cæteri, talibus suspensis, durante suspensionis tempore quidquam de suis præbendis aut quotidianis distributionibus prædictis dederint, aut aliquis eorum dederit, tales aut talis frivoli

voli suspensionem, à qua non nisi per ordinarium, & post unius mensis lapsum relaxentur, incurrant vel incurrat eo facto.

De eodem.

CAP. II.

Clericorum vita.

QVia *prælatorum & Ecclesiasticorum virorum vita* omnibus subditis, *si speciem mali contineat*, est non immeritò *maxima causa ruinæ*: Ideò *hæc sacra Synodus* omnes & singulos prælatos & Ecclesiasticas personas, qui ad modum militum *in vestibus accurtatis* ac alias indecentibus, per campos equitant, supparati & loricati, interdumq; sertis plumatis velut laici incedunt in publico, imo ad spectacula chorearum & aliarum vanitatum, *excommunicationis pœna*, quam hujusmodi habitus deferendo incidant eo facto, præsenti constitutione vult puniri, & ut excommunicatos ab omnibus evitari.

Similis sit sententia de *clericis*, qui rapinis, incendiis, guerris & bellis, interdum ad hoc stipendiati, & quandoque ab aliis rogati, se ingerunt, contra communem statum clericalem.

Quam quidem excommunicationis sententiam si non curent, contra eos usq; ad privationem Ecclesiasticarum dignitatum & beneficiorum inclusive, vel aliàs prout justum fuerit, *in proxima synodo* sequenti procedatur.

De eodem.

CAP. III.

Contra Concubinarios clericos.

Aliæ laudes clericorum priscorũ.

QVanquam in his, quæ in diversis juribus scripta sunt *de vita & honestate clericorum* contra *publicos concubinarios & cohabitatores mulierum*, contra *clericos aleatores*, *lusores*, *negotiatores*, *tabernarios*, *corisatores*, indecentium vestium, colore, scissurâ, stragulatura, manicarum nimiâ aperturâ & longitudine excellenti, portitores, *spectaculorum visitatores*, *venatores*, *& aucupiis insudantes*, *ludos larvarum*, placita secularia, & institutiones mundanas in suis Ecclesiis tanquam in diversoriis sustinentes & tolerantes, *quasi totus status clericalis evidenter exorbitet*: Cujus occasione populus laicalis maxime scandalizatur, & in status clericalis odium excitatur: Tamen *huic sacro concilio* necesse non est contra hujusmodi *exorbitantias status clericalis scandalizantias* specialia pro nunc decreta edere, quia de his satis provisum est injure, sub pœna privationis Ecclesiarum, & dignitatum suarum, quam ex eorum negligẽtia demonstrantur incurrere eo ipso.

Injungit præ ceteris, atq; mandat omnibus & singulis *Ecclesiarum prælatis*, superioribus & inferioribus, quatenus super his singulis annis *visitent*, corrigendos, *absque* tamen *mulcta pecuniali sibi inbursanda*, etiam usque ad privationem beneficiorum inclusive, corrigant & puniant. Ut talium pœnarum gravitate correcti culpabiles, discant à tali inordinatione ut antea abstinere, & quod cæteris præcludatur audacia consimilia perpetrandi.

Visitationes cleri.

Imbursanda mulcta.

TITULUS II.

De clericis non residentibus in Ecclesia vel præbenda.

CAP. I.

Repletio saccorum aliquibus potior quam cura animarum.

QVoniam *prælati* quidam, *innitentes magis repletionibus saccorum, quàm provisioni animarum*, absentes à suis beneficiis, sub colore justitiæ & processus graves movendo compellunt in eisdem residere, & tamen, *pro pecuniis*, ut vel decimam vel in vita sua partem valoris redituum, imo aliqui eorum integros fructus accipiunt, & *sibi inbursant*, tunc licentiam abessendi dantes, & processus quoad personas illorum dantium relaxantes, & propter *quæstum talem*, *de simonia suspectum*, postea licere reputant, quod antea suis pro-

Avaritiæ hiatus.

processibus fulminabant injustum: Idcirco *contra tam cupidum avaritiæ hiatum hæc sancta synodus exurgendo*, sub excommunicationis & privationis Ecclesiarum, & dignitatum suarum obtentarum pœnis, decernit & ordinat: Quod *prælati Ecclesiastici* beneficiatos suos subditos in illis beneficiis, quæ residentiam exigant personalem, & quæ aliàs pro congrua sustentatione illorum beneficiatorum in reditibus Ecclesiasticis sunt dotata & fundata, vel residere compellant, *non accipientes pecuniam*, aut, si aliqua causa rationabili dictos beneficiatos residere debentes jura permittunt absentes esse, prospiciant tunc proviso tali beneficio de regente idoneo, ut ipsum in divinis non fraudetur obsequiis. Reliqua, quæ supersunt, in augmentum dicti beneficii distributione Ecclesiastica provenire procurent, *nihil sibi de dicti beneficii reditibus inbursando*, sub pœna præscripta.

Reditus sacros sibi imbursare.

De eodem.

CAP. II.

LIcet in Parochialibus Ecclesiis, ut, recepto ordine Subdiaconatus, *studendi causa*, aut varia *studia audire volentes per septennium*, ad majores ordines, Diaconatum videlicet & Presbyteratum, non teneantur promoveri, satis sit provisum per *Constitutionem* felicis recordationis quondam Domini *Bonifacii VIII.* quæ incipit: *Cum ex eo, Sexto Decretal. lib. 1. tit. 6. cap.* 34. Ut dictorum curatorum Episcopi & superiores cum eisdem supra gratia dicta absque promotione valeant dispensare: Tamen, quia tempore hujus dolorosi schismatis *literarum studia*, & ex consequenti *viri literati, & in scientiis eruditi* quamplurimum *defecerunt*: Idcirco statuit & ordinat hæc sacra synodus, quod, si qui tales curati vel etiam alii beneficiati, non vicarii, *ad studendum habiles, ad Studia generalia* transferre se volent, *studendi causa*, quod locorum Ordinarii, aut eorum superiores, aut Ecclesiarum patroni, talibus *ad septennium abessendi* à suis beneficiis, & *in studiis promovendi* licentiam concedere non solum valeant, sed & teneantur. Proviso tamen, quod Ecclesiæ & beneficia *talium studentium* taliter medio tempore disponantur, quod divinus cultus & divinorum officia, nec non animarum cura, quæ eis convenit, nullatenus negligantur.

Literarũ studia olim neglecta. Academica studia septennio limitata.

Si prælati superiores, aut patroni hujusmodi petitam licentiam cuiquam talium denegare præsumserint, sint hujusmodi prælati & patroni ab ingressu Ecclesiæ interdicti, quousq; tali absentiæ consenserint. Et nihilominus *autoritate hujus sacri concilii* prædicti *studere volentes* præfatam licentiam taliter petitam habeant eo facto.

TITULUS III.

De præbendis & dignitatibus.

CAP. I.

QVia *in Ecclesiis* quibusdam, præsertim *cathedralibus*, & etiam quibusdam regularibus *de ordine S. Benedicti*, pessime servatur & inolevit consuetudo, vel potius *corruptela*, sic quod in eis non admittuntur nisi de nobilium aut militarium genere procreati, qui velut ex militia geniti moribus talibus & militaribus imbuti *literarum studia non frequentant neque curant*, & sic *ignari* remanent & *idiota*: Ex quibus tunc communiter *per electionem talem qualem* ad Ecclesias cathedrales hujusmodi militiæ dediti in prælatos promoventur, interdum *vix latinum fari scientes*, & actus militares tam in vestibus, quam in bellorum conflictibus, & armorum insultibus, quia exercitati sunt in illis, magis prætendentes, quam quod actibus Pontificalibus, pro acquirendis, confirmandis, & pascendis animabus, & ovibus sibi subjectis, se ingererent, contra

Prælatorum olim multi ignari.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tra jura tam divina quam humana: Idcirco *statuit & ordinat hoc generale concilium*, quod in qualibet cathedrali Ecclesia non solum hujusmodi nobiles & militares, sed etiam *Magistri in Theologia, Doctores & graduati*, vel indifferenter, vel ad certum numerum, & specialiter *non minus quatuor*, etiam de nobilium aut militarium genere procreati, si saltem haberi valeant, alioquin alii notabiles, graduati, ut præfertur, admittantur, dummodo aliàs eis canonicum quid non obsistat, sub pœna privationis omnium beneficiorum obtentorum, & inhabilitationis ad obtinenda, quam contrafacientes, contradictores & rebelles incurrant ipso facto.

Et specialiter prædicti regulares *de ordine S. Benedicti*, sub pœna prædicta, quoscunque alios devotos & tantæ religioni aptos indifferenter accipiant. Quia sicut Christus Salvator noster in cœlestibus personarum non est acceptator, nec est apud eum differentia apud Græcum & Latinum, ita, in cœlesti Ecclesia militante, & singulariter in tantæ humilitatis religione & ordine, talis differentia & personarum acceptatio nullatenus esse debet.

De eodem.

CAP. II.

D*Amnabilem usum*, qui in quibusdam, ut asseritur, Ecclesiis inolevit, quod videlicet quoad tractatus capitulares secretos, & alios, admittuntur interdum *canonici parvi*, ex maturitate annorum inhabiles, & quandoque nec in sacris ordinibus constituti, hæc *sacrosancta Synodus* penitus reprobat atque damnat: Mandans omnibus & singulis Ecclesiarum *canonicis capitularibus*, præsentibus & futuris, quia in capitulis Ecclesiarum frequentes arduissimæ super Ecclesiastica libertate seu alias spirituales causæ tractantur, quæ puerili ætati, aut his, qui, abjectis canonicatu & præbenda, convolare possunt ad nuptias, sint inconvenienter committendæ, quatenus ut antea alia idoneitate supposita nullum ipsorum concanonicum ad capitulum aut tractatus capitulares admittant, nisi ad minus *decimum octavum suæ ætatis annum* compleverit, vel in aliquo sacro ordine ad minus subdiaconatus existat constitutus. *Canonicorum ætas.*

Qvod si qvis se per precum, minarum aut cujuscunq; impressionis instantiam secus adjungi procuraverit, sit ille suis canonicatu & præbenda ipso facto privatus, & inhabilis ad eandem. Et secus admittentes, à perceptione fructuum singulorum de suis canonicatibus & præbendis advenientium per annum integrum sint suspensi: De eisdem proventibus in modum pœnæ Apostolicæ Cameræ responsuri.

De eodem.

CAP. III.

De Canonicis capitularib.

CUm in qvibusdam Ecclesiis statutum reperiatur, ut, licet *numerus canonicorum præbendatorum* sit satis magnus, ipsorum tamen *capitularium* ad satis parvum numerum sit restrictus, in finem, ut creditur, quod dicti pauci capitulares *ex capitularibus proventibus* uberius valeant *impinguari*: *Statuit* igitur *hoc generale concilium*, quod si canonico præbendato immatura ætas, *insufficientia literaturæ*, aliaq; inidoneitas, aut aliud impedimentum canonicum non obsistat; capitulares ejusdem collegii ipsum ad capitulum petentem admittere intra sex dies teneantur, sub pœna suspensionis à fructibus præbendarum & restitutionis dupli emolumenti, quo dictus admittendus processisset. Qvod qvidem duplex emolumentum contra contradictores & rebelles judicialiter talis petere, exigere & recipere potest, quocunqve *juramento* non obstante.

Super qvo *præsens concilium* ex nunc prout ex tunc *dispensat*, imo dictum *juramentum cassat*, & annullat.

Ætatem aut etiam idoneitatem personæ à capitularibus tractatibus non repellendo, decrevit hæc synodus, sicut in ordine presbyteratus *constitutionibus* felicis recordationis quondam Domini *Clementis V.* ubi determinatur, quod Subdiaconus potest habere vocem in capitulo, & conceditur sibi, quod in decimo octavo anno ad subdiaconatum potest promoveri, ut in *Clementinis lib. I. tit. VI. de ætate & qualitate præficiendorum cap. II. & seq.* Et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

De Eodem.

CAP. IV.

De absentium Canonicorũ reditibus.

QUoniam ex quadam dissvetudine aut corruptela *canonici præbendati & capitulares* in Ecclesiis residentes, fructus & *reditus absentium canonicorum*, & propter absentiam suam suspensorum, *inter se dividunt*, sibi retinent, & *inbursant*: Idcirco *decernit hoc sacrum Concilium*, quod præbendæ ejusdem Ecclesiæ, quæ communiter capitularibus distribui consueverunt, singulis annis in qualibet divisione æqualiter dividantur.

Quod si tunc aliquos absentes aut etiam præsentes suspensos esse contingat, talium suspensionum fructus aut in augmentum præbendarum vel saltem in utilitatem Ecclesiæ convertantur, *ne quomodolibet inbursentur.*

Quod si secus actum fuerit, *inbursantes* & recipientes ad restitutionem faciendam Ecclesiæ per ordinarium compellantur Ecclesiasticam per censuram.

De Eodem.

CAP. V.

Senum avaritia temporis vetustate juvenescit.

QVia quædam Ecclesiæ certa bona, reditus, & proventus ab aliis ejusdem Ecclesiæ bonis, reditibus & proventibus segregarunt, illa tanquam senioribus & capitularibus, secundum quod diutius vixerunt, applicanda, quæ aliqui *oblegia*, aliqui *fercula*, quidam *supplementa*, alii *officia*, & cæteri *feuda claustralia* vocant: Unde fit, quod in eadem Ecclesia unus præbendatus, secundum quod diutius vixit, mille florenos, alter junior, & interdum in capitulo novellus vix decem florenos habeat annuatim de præbenda: Et ob hoc, ut ad capitulum promoveri nequeant juniores, *senum avaritia, quæ temporis vetustate juvenescit*, interdum impedimenta plurima parat: Idcirco *hoc sacrum concilium decernit*, definit & ordinat, *omnes præbendas* saltem ejusdem Ecclesiæ canonicis capitularibus de paritate esse debere *æquales*. Nisi, sicut in quibusdam Ecclesiis observatur, ex sua institutione primæva diversæ divisæqve sint, & fundatione inæquales.

Cassat & irritat, & *annullat segregationes* supradictas. Liceatqve junioribus canonicis, saltem capitularibus, taliter damnificatis, & per tam iniquam distributionem defraudatis, nisi seniores cum junioribus omnia ejusdem Ecclesiæ de uno anno provenientia singulis exponant dividenda, à die *præsentis constitutionis* ablata, & taliter eis abstracta, aut saltem inposterum, quod absit, abstrahenda, repetere, & etiam judicialiter exigere cum damnis & interesse: Qvocunqve *juramento* per tales juniores non obstante: Super quo hæc sancta Synodus ex nunc prout ex tunc *dispensat* tanquam inique & fraudulenter extorto.

TITULUS IV.

De concessione præbendarum & Ecclesiæ non vacantis.

CAPUT UNUM.

CUm nonnulli non per verum ostium ant rectam viam præbendas, Ecclesias & cetera beneficia Ecclesiastica ingredi contendentes, antiquorum & æta-

& ætate provectorum, & qvorundam divitum, qui etiam longis temporibus beneficia sua Ecclesiastica pacifice possederunt, eadem beneficia impetrent, aut *actiones apertas* reportent, ut in vim compositionis à divitibus vexari timentibus *pecunias* valeant *extorquere*, aut litispendentias erga senes possessores procurare, in finem, ut ipsis decedentibus ad hujusmodi beneficia valeant surrogari: Ideo *hæc sancta Synodus*, volens tam *nefandis astutiis & malis adinventionibus* obviare, disponit, & ordinando decernit: Qvod, quicunque hactenus Ecclesiasticum beneficium Apostolico vel ordinario titulo quæsitum per triennium pacifice & quiete possedit, aut quem in futurum taliter per ingressum canonicum, Apostolicum vel ordinarium per triennium possidere contingat, ille eo facto talem titulum quoad forum contentionis in illo beneficio, & tam justum acquirat, ut nequaquam etiam super eo postea per quemquam impeti, citari valeat aut vexari. Et fuit processus talis eo facto nihili, nulliusqve roboris vel momenti. Nisi talis possidens seipsum fecit inhabilem, aut postmodum taliter excedat, quod ex magnitudine criminis notorie perpetrati clare probari valeat, quod suo beneficio privari deberet, aut in futurum inhabilitaret semetipsum.

Artes nefandæ.

TITULUS V.

De his, quæ sunt à majore parte capituli.

CAPUT UNUM.

IN quibusdam Ecclesiarum capitulis, sine urgente causa, nec vera ratione, imo contra jurisdictionis dispositionem dicitur observari, quod unus, duo, vel interdum plures, & tamen respectu aliorum paucissimi vel *pauciores*, *sua contradictione impedire* possint *ea*, *quæ per majorem* & forsitan saniorem *partem* capitularium *concluduntur*, statuit & *ordinat hoc generale Concilium*, hujusmodi observantiam & consvetudinem, quæ potius corruptela dicenda est, cum præfatis contradictionibus, si evidentem habeant rationem, cassari & annullari, nec non præsenti constitutione cassat & annullat, imo tales temere contradicentes à voce capitulari, & à fructibus suarum præbendarum eximit, prout ex tunc præsenti constitutione tamdiu suspendit, qvousque à sua temeritate cessando resipiscant.

TITULUS VI.

Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

CAPUT UNUM.

CUm sectiones & divisiones beneficiorum canonicis institutionibus sint inimicæ, ideo *hæc sancta synodus decernit* & ordinat, districtius inhibendo, ne hujusmodi sectiones aut divisiones ut antea fiant.

Imò *nec summus Pontifex de istis sine consilio sacri concilii generalis habet potestatem.*

TITULUS VII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

CAPUT UNUM.

AUtoritate hujus sacri concilii, accedente ad hoc *consilio & assensu Serenissimi Principis*, *Domini SIGISMUNDI, ROMANORUM & HUNGARIÆ REGIS semper Augusti*, cassantur & annihilantur omnes & singulæ *impignorationes*, per Ecclesiarum & monasteriorum prælatos sine consensu capitulorum & conventuum suorum a receptione aut ad certum tempus factæ,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ctæ, si saltem ex talibus capitalibus summa appareat persoluta.

Alioquin fructibus computatis in sortem, vel impignorata calici usque ad solutionem sortis completam apud inpignorantem remaneant, aut saltem prælatus vel ejus Ecclesia seu monasterium, soluto quod solvendum restat, bona hujusmodi ad prælatum, Ecclesiam aut monasterium libere recipiant, ac eis utantur, sicut ante.

TITULUS IIX.

De testamentis & ultimis voluntatibus.

CAP. UNUM.

QUia in quibusdam mundi partibus *contra cleri libertatem* gravissimæ servitutis inductiva, damnabilisq; inoluit corruptela, quod Ecclesiastici Prælati, imò, quod detestabilius est, laici Ecclesiarum & beneficiorum Patroni, advocati vel defensores, *decedentium clericorum bona*, qualitercunque etiam testata, vel etiam, si ab intestato decedant, recipiunt, *suisque usibus inbursant*, nihil Ecclesiis & beneficiis ac pro augmento divini cultus, nec non pauperibus successoribus relinquentes, debita contracta non solventes, imò taliter, & ad extremum *domus illorum expoliantes*, ut nec funeralia officia, Christiano homini debita & consueta, possint peragi quovis modo: Imo quod deterius est, quædam possessa hæreditaria bona in præjudicium & gravamen hæreditario aufferre non formidant: Contra hos, in manu potenti & brachio extenso, tanquam Christi & Ecclesiæ Dei spoliatores & prædones agriqúe divini depopulatores, exsurgens *hoc generale concilium decernit* & ordinat, omnes & singulos Ecclesiasticos prælatos, ac etiam laicos, talia, ut præfertur, attentantes & præsumentes, excommunicationis sententiam incurrere ipso facto, & à Christi fidelibus arctius evitandos.

De clericorum defunctorũ bonis.

Et si *Ecclesiasticus prælatus* in hujusmodi excommunicatione persliterit per sex menses, animo, quod absit, indurato, suâ Ecclesiastica dignitate, Ecclesia videlicet & monasterio sit privatus, & inhabilis ad eadem.

Laici vero talia committentes aut committi procurantes, eo ipso à jure patronatus, advocatiæ seu defensionis cadunt. Nihilominus eorum terræ, & loca quælibet Ecclesiastico sint interdicto subjecta. Et nisi satisfecerint de commissis, ipsis decedentibus Ecclesiastica careant sepultura.

TITULUS IX.

De decimis, primitiis & oblationibus.

CAP. UNUM.

CUm inter Ecclesiasticos prælatos, Ecclesias, monasteria, prioratus & conventus, habentes aut habentia autoritate Apostolica & ordinaria *Ecclesias* quasdam *incorporatas*, ex una, & suos curatos Rectores & perpetuos vicarios ex altera partibus, frequentius lites movẽtur & contentiones insurgunt *super decimis*, novalium prius incultorũ: Juribus & sanctorum Patrum decretis inhærendo *hoc generale conciliũ* inter dictas partes ordinat, disponit & declarat.

TITULUS. X.

De statu monachorum & aliorum religiosorum.

CAP. I.

QVoniam uniuscujusque professionis regulæ à sanctis patribus saluberrime ordinatæ sunt, in qvacunq; religione, pro conservatione status regularis, & specialiter *trium substantialium* cujuscunque religionis, quæ sunt *obedientia, continentia & paupertas*: Idcirco *hoc sacrum concilium* primo & ante omnia

De votis monasticis.

mnia sub pœna Apostolicæ excommucationis & suspensionis *ordinat & decernit:* Qvod quælibet *religio* & quilibet *ordo* regulam sui ordinis, aut primariam, aut saltem secundum subsequens sanctorum Patrum moderamen, salvis tamen tribus substantialibus prædictis, & absque laxatione aut remissione eorundem postmodum deliberative decretam, servet & contineat.

Et quod non servantes hujusmodi regulam, præsertim contra *tria substantialia* prædicta, aut aliquod eorum, temere vivendo, ultra pœnas prædictas, etiam usque ad pœnas carceris inclusive, si id delicti qualitas exegerit, puniantur & corrigantur. Ut *atrocitas pœnæ* sit *delinquentibus ad medelam*, & ceteris similia devitandi ad exemplum.

Et si in aliquibus monasteriis aut conventibus alias non habeantur hujusmodi scriptæ regulæ, aut habitæ in abusum sint deductæ: Hujusmodi regulas infra sex mensium spatium habere sibi, & habitas infra idem spatium sub pœnis prædictis districtius, effectualius, observare procurent.

De eodem.

CAP. II.

De Monachis & Monialibus opulentis.

CUm *abdicatio proprietatis ita monastica professioni* & regulæ sit *annexa*, quod nec summus Pontifex contra eandem valeat dispensare: Nihilominus tamen quamplures regulares personæ utriusqve sexus, & qvasi indifferenter omnes, paucis duntaxat exceptis, salutis suæ immemores, interdum ante ingressum religionis & qvandoqve post, *pecuniâ sibi industriose congregata*, vel recepta ab amicis & parentibus, nec non jura, possessiones, reditus, pensiones, portiones, præbendas, animalia, & alia bona emerunt, seu emi fecerunt & procurarunt, proprio & sæpe nomine alieno multos contractus tanquam negotiatores exercent, pecunias inde acqvisitas, vel alias undecunqve provenientes ad libitum propriæ voluntatis expendunt, quamplures qvoqve hujusmodi pecuniam & alia prædicta contra scitum & voluntatem superiorum suorum occulte vel illicite tenent, in suarum pericula animarum.

Qvorum prætextu & occasione, ex tunc vestitum emunt, claustralia loca ad placitum deserunt, mansiones sibi seorsim procurant, victum & potum singularem extra conventualem locum sibi disponunt, vel in mensa communi in præsentia pauperum fratrum aut sororum eadem scandolose consumunt, reliqvis fratribus aut sororibus, similia non habentibus, magnam egestatem cum amaritudine animi patientibus.

Ex qvibus surgunt invidiæ, detractiones, rancores, scandala, applausiones, comessationes, inobedientia, incontinentia, aliæqve infinitæ exorbitantiæ regularis disciplinæ.

Allegantes, se posse hujusmodi *abusus detestabiles*, de licentia & indultu suorum superiorum talibus consentientium, aut talia dissumulantium, licite exercere.

Cum ergo hujusmodi *pestiferæ abusiones* in totius regularis observantiæ gravem jacturam vergere dignoscantur: Ideo *hæc sacra Synodus* omnibus prælatis & superioribus regiminibus, omnium religiosorum locorum præsidentibus, sub pœna privationis prælaturarum, dignitatum, officiorum, administrationum omnium, tam spiritualium, qvam secularium, injungit: Qvod talia de cetero *nequaquam indulgeant*, eis consentiant, vel ea permittant, sed potius subditis suis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna carceris, Apostolicæ excommunicationis & suspensionis, similia attentantibus, aut ab eisdem desistere nolentibus, firmiter & perpetuo inhibeant: Hujusmodi *trangressores*, tam superiores qvam subditos, primo, secundo, tertiove, per uniuscujusqve immediatum superiorem excommunicationis pœna prætacta irremissibiliter puniendo. Constitutionibus, consvetudinibus, literis, pactis, promissionibus, ac aliis etiam gratiis Apostolicis non obstantibus qvibuscunqve.

Mandat insuper *eadem Synodus*, quod qvæli-

De opibus à Monachis & Monialibus collectis.

qvælibet regularis persona, utriusqve sexus, omnia bona tam mobilia qvam immobilia, sub qvocunqve colore, vel ex cujuscunqve licentia de facto habita, possessa, vel hactenus industriose acqvisita, teneatur sub præscripta pœna infra triduum post reqvisitionem in manus superiorum suorum integre ac fideliter assignare. Qvi ipsis & aliis subditis de talibus bonis, ac communi substantia monasterii aut conventus, teneantur sub pœnis præscriptis in victu & vestitu, & omnibus necessariis, secundum uniuscujusqve loci regularis exigentiam, facultatum ac personæ, loci & patriæ qvalitate, fideliter providere; pecuniali & aliorum vendibilium pro pecuniis ultra victus & amictus necessitatem distributione semper exclusâ & penitus interdictâ.

Negligentes etiam & remissi per suos superiores absqve misericordia puniendi.

De eodem.

CAP. III.

De congregationibus Capitularibus.

QVia in diversis ordinibus negligens intermissio *congregationum capitularium, quibus visitanda, corrigenda, & emendanda quamplurima existunt* prætermissa, facta est: Ideo *ordinat & decernit hac sacra synodus*, quod tales religionum ordines, qui, ut præmittitur, suas *conventiones capitulares* prætermiserunt, capitula sua & conventiones prædictas, vel secundum regna, regiones aut provincias distincta aut distinctas, ut antea secundum modum aut observantiam suæ regulæ institutionis servent & teneant: Ibidem accusanda accusent, inquirenda inquirant, visitanda visitent, & corrigant corrigenda. *Visitationes.*

Quod utiq; prælati monasteriorum & conventuum majores facere teneantur, sub *pœna privationis* dignitatis, officii & administrationis, eis, ex facta *eorum negligentia*, in proxima *synodo*, vel *generali* vel *provinciali*, infligenda.

De eodem.

CAP. IV.

De Monachorum rupta obedientia.

QVandoquidem contra sublimitatem *obedientiæ* in diversis religionibus & ordinibus rebellis humana temeritas, jugum Domini, quod sua professione suscepit, conans abjicere, plures *exemtiones communes & personales* adinvenit, quibus *ille* ab illius superioris sui, illud *monasterium* ab alterius obedientia, *exemtus* seu *exemtum* erat: Plures qve *prælati, Principes, barones & nobiles*, ex impetrato privilegio, ut asserebant, contra suorum religiosorum prælatorum & superiorum voluntatem & assensum, *regulares* & religiosos in suis servitiis *ut capellanos tenuerunt*, & sub stipendio sustentaverunt & foverunt: Eum in finem, ne tantæ *inobedientiæ vitium* ut antea tam periculose succrescat, sed quo magis in omni religione & ordine catenalis & dependens *ordinata obedientia* secundum sui institutionem primævam, & quod omnis religiosus sub sui superioris religiosi obedientia, ut debitum & saluti accommodum est, conservetur: *Hoc sacrum concilium* omnes & singulas in statu regularium *exemtiones, communes & personales*, ac omnia & singula hujusmodi *privilegia*, post constitutionem felicis recordationis quondam dicti *Innocentii IV.* quæ incipit: *Volentes*: *Sexto Decretal. lib. V. tit. VII. cap. I.* qualitercunq; factas aut concessas, cassat, irritat & annihilat. *Potestasque* amplius *talia* quomodolibet *concedendi*, omnibus Ecclesiarum prælatis, imo *& summo Pontifici*, nisi ex urgentissima causa, & *ex consilio generalis concilii* fiat, sit penitus *interdicta*.

De exemptionibus Monachorum.

De Monachis extra monasteria apud prælatos Ecclesiasticos & seculares servientibus.

Per hoc tamen *hæc synodus* nullius ordinis approbati exemtionem, ab ordinaria jurisdictione prælatorum Ecclesiasticorum & secularium prius factam, & secundum formam præfatæ constitutionis limitatam, tollere, aut ei præjudicare intendit quovis modo.

De

De eodem.

CAP. V.

De Simonia religiosorum.

QVia *simoniaca cupiditatis vitium in sacris religionibus* & statu regularium, qui ex voto, quo propriis labiis distinguntur, profiteri solent paupertatem, *Ecclesiam sanctam Dei maxime scandalizat*, quamplurimaque sunt monasteria & conventus utriusq; sexus hominum, qvi, ut de parte taceamus precante, personas *sub pacto Simoniaco nedum occulte* solum sed & *publice* receperunt, sub tali tantaq; continuatione, ut apud eos pernitiosissima vitia mares & seminæ videant: Qvidam etiam receptatores aut receptantes personarum religiosarum, *suas nequitias palliantes*, & excusationes quærentes in peccatis, ipsis recipiendis dicunt libenter: *Vobis pure, propter Deum, gratis, ex charitate & sine pacto, concedimus ordinis nostri societatem in spiritualibus: Sed quia pauperes sumus, provideatis vobis taliter de necessariis, ut de illis vos sustentare valeamus:* In eo simoniacam illam occultantes pravitatem: Ideo *hac sacrosancta synodus*, volens, in quantum potest, hujusmodi vitium specialiter in statu regularium, cum omnibus talibus similibus suis cautelis totaliter exterminare, *statuit, disponit, ordinat*, districtissime inhibendo, ne ut antea qvisqvam aut qvæqvam, religiosus aut religiosa, cujuscunqve monasterii, conventus aut regulæ fuerit, sub *pacto implicito* vel *explicito*, aut *pretio pecuniario*, aut cujuscunq; rei utilis, ut antea qvovismodo recipiatur, seu admittatur.

Qui ex pacto pecuniario recipiunt personas utriusq; sexus ad religiones.

Monachi & monialis de propriis viventes.

Qvod si qui aut quæ ut antea in contrarium fecerit aut fecerint, qvidqvam taliter ex pacto recipiendo, vel dando, sint personæ tam dantes qvam recipientes eo facto excommunicatæ, monasteriaqve & conventus Ecclesiastico suppositi & suppositæ interdicto, tamdiu, donec à solo summo Pontifice absolutionis & dispensationis gratiam, etiam post restituta pretia, meruerint obtinere.

Et qvia quasi *totus religiosorum cœtus* utriusq; sexus *hujusmodi vitio existit maculatus*, tantæqve multitudini nec non immerito sit compatiendum gratiose: Ideo *hac sacra synodus*, ordinatâ cautelâ futurorum, de præteritis & commissis delictis post confessionem criminis misericorditer fore ab immediato superiore dispensandum, ex nunc prout ex tunc præsenti constitutione decernit.

Totus cœtus religiosus olim simonia maculatus.

De eodem.

CAP. VI.

De his, qui ostentatione sanctitatis acriorem ordinem petunt.

De simulata olim monachorum sanctitate.

EXposito nobis, qvomodo qvidam, in *ordinibus* secundum regulam *lenioribus* constituti, satagunt & procurant secum ad *ordines* secundum regulam *arctiores* per sedem Apostolicam dispensari: Quamlibet, *narrando verbis multa, simulatam prætendant sanctitatem & simplicitatem ovium, intrinsecus* tamen *lupi rapaces* existentes, *ordines, velum ovium*, qværunt monasteriorum illorum. Qvorum *aliqua* de facto *sub regula diaboli degunt, vanitati deserviunt*, & irregularitatem permittunt. Cujus occasione accidit, ut interdum ad abbates & alios priores & majores illorum ordinum, ad quos ingredientes dispensant, *magis irregulariter viventes*, accedant, admitti petentes. Qui etiam, ut fertur, sub tali conditione admittuntur, & sub juratoria cautione, quod nunquam aliquam præbendam aut conventualem portionem, seu introitum capitularem requirant aut exigant. Quibus sic stantibus non post modica tempora dantur eis illorum superiorum *litera licentiatoria abessendi* à suis monasteriis & conventibus, & regendi Ecclesias parochiales. Ut *de professis monachis* & regularibus, qui monasticam vitam voverunt, fiant quasi *clerici seculares*, habitum rejicientes, *per mundumque vagantes* ut *discoli*.

Volens igitur *hoc sacrum concilium* de tantis abusionibus, vagitate & vanitate, modis omnibus providere, *statuit, decer-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nit & ordinat, quod Abbates & majores monasteriorum & conventuú, si hujusmodi dispensatores *vagos & vanos* velint admittere, eos pure & simpliciter propter Deum, & sine hujusmodi pacto vel juramento admittant, in suis monasteriis & conventibus standi & perpetuo permanendi, sub pœna privationis dignitatum, officiorum, & administrationum suarum.

Qvod si hujusmodi *dispensationis impetrator* postea *extravagari*, aut ad instar secularium clericorum aut sacerdotum curam plebis, regulâ sui ordinis prætermissâ, gerere reperiatur: Locorum Ordinarii tales *ut apostatas* captivare, & superioribus sui primi ordinis captivatos præsentare, tanquam perpetuò incarcerandos tenebuntur: Cujuscunq; licentia data, aut etiam dispensatione obtenta vel obtinenda non obstante.

De eodem.

CAP. VII.

De Monachis extra claustra sua Ecclesias regentibus. Judicia causarum civilium ne tractet monachi.

INsuper prohibet *hæc sacrosancta synodus monachis & religiosis*, aut etiam *canonicis regularibus*, qvod Ecclesias parochiales seculares, extra terminos suorum monasteriorum existentes, nec per institutionem perpetuam, nec per commendam regant quovis modo: Aut etiam *judicia causarum* inter personas seculares non exerceant aut servent. Prout quidam se adhoc privilegiatos affirmant. Quia & hujusmodi regimen & exercitium judiciale dissolutioni, vagationi, & cupiditati, contra *essentialia religionis*, videlicet *continentiam* & *paupertatem*, aditum præbet & exhibet.

Et inconveniens est, quod multis curandis plebibus præficiatur ut pastor aut judex, qui ex assumtæ religionis officio *custodiam unius duntaxat gerere debet.*

Quod si abbates & ordinum superiores, præficiendo suos monachos aut fratres, secus fecerint, per se aut per alios suos monachos vel fratres eorum nominibus *judicium contentiosum inter seculares exercere* præsumserint, nec post trinam canonicam monitionem præmissam præsumta & attentata revocaverint: In proxima synodo sequenti accusati & convicti, ab omni administratione suarum dignitatum & officiorum suspendantur tamdiu, donec à sua temeritate resipiscant.

Quod si facere non curaverint, contra eos usque ad privationem inclusive procedatur.

De eodem.

CAP. VIII.

De damnis ex schismate Papali ortis circa tempora Concilii Const.

SIcut *hujus dolorosi schismatis tempore* Ecclesia sancta Dei primitus in duas obedientias usqve ad tempus *concilii Pisani*, & ex tunc *usque modo* in tres obedientias divisa fuit, ita & qvasi omnium religionum ordines, monasteria & conventus inter se & ab invicem divisi & divisa fuerunt, sic, qvod isti, qvi fuerunt de una obedientia, alios superiores, qvam alii, de alia obedientia, recognoverunt, variaq; & diversa, alia perpetua, alia temporalia privilegia, gratias Apostolicas & exemtiones impetrarunt: In nullo tamen, nec *Pisano*, nec *præsenti conciliis* determinatum sit, aut determinetur, imo *firmiter quoad universalem Ecclesiam tanquam indeterminatum remanet*, *quis præsidentium illarum trium obedientiarum unquam fuerit verus Pontifex*: Cujus occasione in ordinibus & religionibus prædictis, per Dei gratiam nunc unitis, & completius uniendis, multorum conscientiæ dubiæ remanerent, & scrupulos perplexos inciderent, qvæ privilegia & gratias Apostolicas, taliter diversa ac diversas, imitari aut servare deberent, cum sine nota diversionis, & illa & ista, aut istas & illas imitari aut servari non possint: Ideirco pro dictarum religionum & præfatorum ordinum magis charitativa unione, & omnium conscientiarum servatione, *hæc sacra Synodus omnia & singula hujusmodi privilegia, exemtiones aut gratias Apostolicas, à tem-*

Nec in Pisano nec Constantiensi Concilio definitū, quis ex tribus disidentibus Papis vero esset. Confusio Ecclesiastici status ante Concilium Const.

tempore inchoati schismatis eisdem religionibus & ordinibus, sive sint communia, sive personalia, communes vel personales, concessa vel concessas, qvarum tenores habet pro sufficienter expressis, *revocat, irritat, cassat & annihilat.*

Veruntamen si aliqvæ ex præmissis pro bono statu ordinis & religionis prædictorum, nec non sine acceptione personarum, sive rationabili æqvalitate institutæ videantur: *Apud futurum* unicum & verum *summum Pontificem hac Synodus intercedet*, ut nedum unius obedientiæ, sed indifferenter omnibus nunc unitis religiosis hujusmodi privilegia concedere velit gratiose. Ut ipsi per unitatem Ecclesiæ inter se absqve omni diversitate uniti altissimo cum suarum conscientiarum puritate eo confidentius valeant famulari.

De eodem.

CAP. IX.

CUm scriptum sit: *Væ soli, quia, si ceciderit, non habebit sublevantem:* Ideo decernit & *ordinat hac sacra Synodus*, qvod Abbates, & religiosi, domos, præposituras aut prioratus, subditas aut subditos, *per solum monachum aut religiosum non regant* aut regi procurent. Sed, si reditus & proventus pro duobus non sufficiant, servetur in hoc *Constitutio* felicis recordationis qvondam Domini *Clementis V.* qvæ incipit, *Attendentes, Clementin. lib. 3. tit. 10. cap. 2.* Qvia utiqve soli divinum officium regere non valent: Testimonium bonæ & laudabilis vitæ ex defectu sociorum non habent: Et, qvod forte deterius est, *Periculū soli contra religiosam continentiam libidini carnis & luxuriæ liberius vacant:* Et forsitan in aliis delinqvunt, quæ monasticam dedecent honestatem.

Unus monachus ne regat pro Abbate domum.

si unus regat monachus.

Qvod si Abbas aut qvicunqve religiosus contrarium aut secus facere præsumserit, Ordinarius loci tam superiorem qvam subditum per censuram Ecclesiasticam compescat, etiam usque ad incarcerationem inclusive, si aliter saltem compescere neqveat: Exemtione quacunqve non obstante.

De eodem.

CAP. X.

QVia in ordinibus & religionibus *uniformitas*, humilitatis & veræ obedientiæ imago qvamplurimum accommoda, est infructuosa, sic, qvod *difformitas clericorum inobedientiæ & scandalo locum præbeat:* Ideo *hac sacrosancta Synodus obviando* illi *ambitioni*, qva in diversis ordinibus, contra ordinem Sancti Benedicti, *quidam Abbates, spiritu*, ut traditur, *superbia inflati*, se Apostolico privilegio procurarunt *infulâ, baculo pastorali, annulo & sandaliis*, intento ultra cæteros exaltari, hujusmodi privilegia totaliter revocat, cassat, irritat & annihilat: Ut antiqva, sancta, sinceraqve *uniformitas* in ordinibus ab olim servata, ut scilicet differentia non sit, secundum doctrinam Salvatoris, inter recumbentem, & eum, qvi ministrat, restauretur.

De his qui contra antiquam cōsvetudinē suæ prælaturæ, petunt infulam, baculum pastoralem, annulum &c.

Neutiqvam tamen *Abbatibus ordinis Sancti Benedicti*, qvi antiqvissimis temporibus hujusmodi prærogativa gaudebant, generari præjudicium per hoc intendit Synodus sacrosancta.

De eodem.

CAP. XI.

QVoniam *fratres ordinum mendicantium* ex sui institutione inter cæteros religiosos expresse *profitentur paupertatem*, ita, ut nihil nec in communi, nec in speciali deceat in modum proprietatis possidere: Idcirco *hac sancta Synodus* districte *inhibet*, ne hujusmodi ordines & ordinum conventus, ac etiam personæ singulares eorundem ordinum, ut antea *possessiones* & proprietates *immobilium bonorum*, qvæ plurimi eorum habere videntur, aliqvatenus habeant,

De fratribus ordinum mendicantiū.

De opibus eorum proprietatis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

beant, per se vel per alios. Sed si habeant, vendant, pretiaqve secundum vitam Apostolicam ante pedes suorum superiorum ponant, unicuiqve prout opus sibi erit, distribuenda, duntaxat *in victu & amictu*. Pensiones qvoqve ad receptionem, qvæ usurariæ, vel de usura sunt suspectæ, vel etiam in perpetuum, nullatenus enumerent: Dictasqve receptiones, nisi quid de his sancta determinabit Ecclesia, in publicis sermonibus tanqvam licitas non canonizent: Sed secundum suæ institutionis regulas pure de eleemosynis, & de his in communi vivant.

Qvod si secus facere aut attentare præsumserint, poterunt locorum ordinarii, terna tamen canonica monitione præmissa, per debita intervalla facta, taliter reis, velut proprietariis interdicere officia prædicandi, confessiones audiendi, terminos suos visitandi, & eos alias per Ecclesiasticam censuram coërcere: Privilegio Apostolico & alio qvocunqve non obstante.

De eodem.

CAP. XII.

MUltorum *querela Curatorum ad hoc sacrum Concilium deducta*, qvaliter *fratres ordinum mendicantium* limites Apostolici privilegiis, eis dati per Clementinam, *Clementinar. lib. 3. tit. 7. de sepulturis cap. 2.* multipliciter excedant: Sic qvod superiores dictorum fratrum non eo modo, sicut deberent, sed in scriptis, imo interdum nomine non expresso, Ordinariis locorum suos *terminarios*, ut plurimum *idiotas*, & interdum minus quam presbyteri curati scientes, præsentant: *Præsentati, soli absque socio per parochias velut vagi transcurrunt*, absolutiones suas, ultra curatorum efficaciores, tanquam Apostolica autoritate concessas, prædicant sæpius: Qvod in casibus eis non commissis absolvunt, *pecuniaria* etiam *pactione præcedente* aut interveniente: *Decedentibus* & testari volentibus *secretius ingerunt, sibi & non Curatis legari* & apud suos conventus sepeliri: Qvibus omnibus *secretius ingestis & practicatis*, canonicam ipsis curatis non exhibent portionem, in dictorum Curatorum multiplex præjudicium & gravamen.

Terminarii idiotæ.

De Monachorum mendicātium artibus pecuniariis.

Testamēta per monachos extorta.

Volens igitur *hac sacra Synodus* tanto *abusui*, in quantum potest, *obviare*, omnia & singula *privilegia*, post dictam constitutionem in præjudicium Curatorum per præfatos fratres quomodolibet impetrata, *revocat*, irritat, totaliter cassat & annihilat: Expressius inhibendo, ne limites *dictæ constitutionis*, nec non ejusdem Domini Clementis, *Clementinar. lib. V. titulo VII. De privilegiis, cap. I.* & aliorum statutorum terminos, verbo vel facto, publice vel occulte, directe vel indirecte excedant quovis modo.

Qvod si forte facere præsumserint, à locorum Ordinariis per censuram Ecclesiasticam compescantur: Qvocuncunqve privilegio Apostolico, aut quovis alio, impetrato seu impetrando, non obstante.

De eodem.

CAP. XIII.

QVia *sub colore tertiæ regulæ Beati Francisci*, ex conventu *fratrum Minorum*, quamplures personæ utriusqve sexus *scapularia* deportare videntur, acsi ipsorum vivendi modus distincta foret religio, & ab aliis separata: *Hujusmodiq; personæ in illo habitu operibus interdum indecedentibus & mulieribus se ingerunt*, in dedecus sacræ religionis vergentibus, ex quibus inter seculares plurima scandala videntur exoriri: Qvædam etiam personæ tales, continentiam, obedientiam & paupertatem promittunt, & tamen in sylvis & plebibus commorantes, cum aliàs ad laborandum aptæ forent, de eleemosynis in præjudicium pauperum & miserabilium personarum vivunt: *Beggardis, Begutis*, quæ

De Begardis & Begutis tertia regula sancti Francisci.

De horū artibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Begardi & Beguta de hæresi suspecti.

quæ *Suestri omnes* dicuntur, *de hæresi valde suspectis*, se eis conversando ingerunt: Ipsorum ipsarumqve sectas & hæreses, ut timendum est, *sub tali habitu & specie* occultant simulata: Idcirco *hæc sancta Synodus* districtius inhibet, sub excommunicationis pœna, ne hujusmodi personæ, sub tertia *regula*, hujusmodi *scapularia* ut antea deferant: Sed in conversatione & statu se aliis honestis civibus, sub observantia dictæ regulæ, quæ præclarus quidam modus vivendi est, tanquam regula, conforment penitus.

Et omnino non liceat dictorum fratrum superioribus *sub tali habitu* quascunqve personas extra loca sacrata sui ordinis quomodolibet assumere, sub pœna præscripta. Qvam quidem pœnam locorum Ordinarii, tam contradantes quam contra recipientes hujusmodi *distinctum habitum*, *scapularia* & professionem, procedant & procedi faciant, ecclesiasticam per censuram: Apostolico vel alio quocunqve privilegio, & aliquatenus non obstante.

De eodem.

CAP. XIV.

De monachis mutato habitu vagantibus.

DEcernit insuper hæc Synodus, quod amplius *nullus monachus* aut frater per campos extra septa sui monasterii equitando vel currendo *vagari permittatur* absqve sui superioris licentia, literatorie & ex legitima causa sibi concessa, aut *habitu relicto*, vel saltem *sub aliis vestibus secularibus* occultato.

Qvod si quis secus repertus fuerit, & in præmissis culpabilis, poterit ille per locorum Ordinarium licite arrestari, teneri, captivari & incarcerari tamdiu, quousqve talem inobedientiam sua luat pœna condecedenti. Nisi suus Abbas aut superior ipsum postulet, aut repetat, & promittat fide data, talem secundum regulam sui ordinis velle corrigere & punire. Et ex tunc istum *transvagum monachum* aut fratrem suo Abbati aut superiori Ordinarius tenebitur præsentare corrigendum. Privilegiis, exemtionibus, & aliis indultis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunqve.

De eodem.

CAP. XV.

QVia *contra canonicam sanctamq; electionem*, qua superiores officiales & generales, & ministri in ordinibus mendicantium ab olim assumi consveverunt, certæ *definitiones capitulorum generalium* factæ feruntur: Ideo *declarat* hoc *sacrum concilium*, qvod omnia & singula officia & ministeria, præsidentiæq; dictorum ordinum, ab olim per viam electionis consveta distribui, nisi *per justam, veram & canonicam electionem* distribuantur, sicut ab olim in eisdem ordinibus factum esse dignoscitur.

Quod si quid secus per qvem actum fuerit, sit hoc irritum ipso facto: Qvacunqve dispensatione, indulgentia aut concessione non obstante.

De eodem.

CAP. XVI.

ORdinat quoq; & *statuit eadem sancta synodus*, qvod, cum dictorum *fratrum mendicantium generalia capitula* celebrantur, *generales ministri*, seu rectores dictorum ordinum, qvi, secundum formam suarum constitutionum & observantiarum, habent de finitionibus, & *capitula* de negligentiis, commissionibus, & omissionibus, *suam culpam dicere, & veniam petere*, in eo actu quo sigilla resignant, etiam officia eorum resignasse censeantur. Et qvod tunc *capitulum* ad electionem prioris vel alterius generalis ministri aut rectoris canonice procedat, secundum qvod videbitur expedire.

De

De eodem.

CAP. XVII.

STatuit insuper & *decernit hæc synodus*, qvod *generales ministri* & rectores dictorum ordinum, seu etiam Provinciales provinciarum, *nullatenus* prætextu cujuscunq; literæ & gratiæ præsumant à provinciis aut fratribus quibuscunq; sibi subditis *exigere pecuniam*, vel aliam rem qvamcunq;, sic qvod nec pro scriptura, aut sigillo literarum qvidqvam recipiant, sub *excommunicationis pœna*. Qvam contra faciens incurrat ipso facto. A qva etiam absolvi non possit nisi per Romanum Pontificem, præterqvam in mortis articulo. Qvam non curans, si postea non absolutus celebraret, divinis se ingerens, & ex consequenti irregularitatem incurreret, sit eo ipso suo privatus officio. Liceatq; fratribus dictorum ordinum *capitulum* vel *generale* vel *provinciale* celebrare, & ibidem alium eligere in locum supra dicti.

De eodem.

CAPUT XVIII.

Ambitio dominandi inter Monachos Mendicantes. De officio Provincialatus.

UT *in tam humili* religiosorum ordinum videlicet *Mendicantium statu* resecari valeat *ambitio dominandi*: Decernit *hæc sancta synodus*, qvod nullus *Provincialis*, si *magister in Theologia* fuerit, ultra sex annos, si vero *Lector*, aut alter venerabilis frater non graduatus fuerit, ultra tres annos, *in officio provincialatus* remanere debeat. Sed dictis annis elapsis alii in eorum loca eligantur.

Et modis omnibus *Magistri in Theologia*, dummodo aliàs sint idonei, *præferantur*.

Capitula Provincialia.

Et qvod *singulis annis sua provincialia capitula celebrent*: Dispensatione qvacunqve non obstante. Nisi pro tunc *generale totius Ecclesiæ concilium* contingat celebrari.

De eodem; Et specialiter de Monialibus.

CAPUT XIX.

De monialium reditibus privatis.

CUm proprietas paupertati, qvam religio sancta profitetur, sit adversa & totaliter inimica, *mendicitatiq; per fragilitatem sexus apud sanctimoniales virgines* sit non immerito *detestanda*: Unde factum est, quod monasteria & claustra Monialium, ultra suos reditus, quos possident atque tenent in communi plures virgines, professionis suæ regulam hactenus occupiendo, & non bene, *permiserunt, reditibus parentum* aut consangvineorum ad dies vitæ comparatis, donatis & deputatis, virgines ingredientes ut propriis *uti* & gaudere, contra essentialia ordinis & observantiam regularem; Ordinat igitur & *decernit hæc sacra synodus*, latâ sententia, quam contra facientes incurrant ipso facto, prohibendo districtius, ne ut antea ad quodcunque monasterium aut claustrum quæcunq; sanctimonialis virgo recipiatur aut admittatur, nisi illa cum aliis de communibus proventibus aut reditibus dicti monasterii aut claustri sine egestate nimia aut mendicitate inhonesta valeat sustentari.

Si quis ultra hoc filiam, sororem, consangvineam, neptem, vel amitam, ad monasterium aut claustrum sanctimonialium recipi voluerit, ille liberaliter, sine omni pacto aut conditione verborum prævis, in fixis reditibus provideat monasterio vel claustro in communi de tanto, ut ipsa cum cæteris de communi vivere valeat, & quod non habita proprietate non cogatur egere, & victum & amictum turpiter acquirere: Sicut heu! quamplurimæ, tali necessitate forsan impulsæ, facere consveverunt.

De

De eodem.

CAP. XX.

Sexus sequioris fragilitas. Monialiũ periculũ.

QVoniam *sexus muliebris ex sua fragilitate carnalibus tentationibus forte resistere minus valet*: Propter quod quamplurimæ *sanctimoniales post nimis tempestivam professionem luxu carnali tentatæ* postea multa *vitia*, quæ dicere pudet, commiserunt, quæ, ætate matura & provecta in profitendo expectatâ, fuissent *per egressum licitum & sacras nuptias bene cautæ*: Idcirco *decernit* & ordinat *hac sacra Synodus*, quod ut antea *nulla sanctimonialis ad professionem quomodolibet admittatur, nisi in vicesimo ætatis suæ anno aut ultra existat constituta.*

Moniales qua ætate in claustra recipiendæ.

Et si ante tale tempus, quocunqve ordinante seu practicante, *professio* talis fiat, sit illa, tanquam *illegitima ætate facta*, ipso jure nulla. Poterit enim talis *ante hujusmodi vigesimum annum se bene probare, an valeat continere.* Qvod si non, secundum doctrinam Apostoli, *nubat in Domino.*

Probanda Monialium continentia.

Nam etsi *virginitas* optimis rebus præferenda sit: Sunt tamen *nuptiæ sacræ commendandæ, & nullatenus refutandæ.*

Nuptiæ non dissvadendæ.

De eodem.

CAP. XXI.

De Conversatione monachorũ, & monialium.

QVia *ex conversatione virorum*, tam Ecclesiasticorum quam secularium, *cum sanctimonialibus*, monasteria aut claustra ingrediendo, aut ipsæ ingrediendo, multa indecentia & inhonesta, experientiâ teste, committi consveverunt: Idcirco super *clausura* talium *monasteriorum* & claustrorum stricte servetur Decretalis illa, *Sexto Decretal. lib. 3. tit. 16. De statu Regularium, capite unico:* Cum adjectione pœnæ gravioris, videlicet non solùm præcipienda hæc in virtute sanctæ obedientiæ, *sub obtestatione extremi judicii*, & interminatione maledictionis æternæ: Qvæ omnia conscientiæ prælatorum relinqui videntur: Sed, quod illam Decretalem exequantur prælati *sub pœna privationis* omnium suarum dignitatum & officiorum Ecclesiasticorum & secularium, quam à die constitutionis præsentium ultra sex mensium spatium negligendo incurrant eo facto.

De eodem.

CAP. XXII.

De monialium delinquentium correctione.

ITem attento, quod minoris dedecoris est, *sanctimonialem virginem excedentem à suo Prælato regulari*, regulas correctionum & modum corrigendi melius sciente, corrigi, quam à suo Prælato seculari: Ideo *hæc sancta Synodus statuit*, expressius inhibendo, ne prælati seculares de *correctione* talium *excedentium virginum sanctimonialium* se intromittant quovis modo. Nisi illius religionis superiores, ad quos spectat correctio, post admonitionem ad corrigendum evidenter reperiantur negligentes aut remissi.

De eodem.

CAP. XXIII.

Cur moniales juniores ac seniores, non exeant claustro.

CUm *junioribus* Sanctimonialibus *propter tentamenta pudicitiæ* ad exteriora vagari *non liceat*: Nec tutum est: Et *seniores* per debilitatem & fragilitatem *non possint* exire: Disponit & *ordinat hoc sacrum concilium*, quod locorum Ordinarii, aut eorum religiosi superiores, ubi saltem expedire videbunt, cum consilio & consensu Abbatissæ, Præpositissæ, Priorissæ, aut Magistræ, singulis monasteriis & claustris sanctimonialium singulos præpositos & negotiorum actores, qui sint *viri maturæ ætatis, bonarum conscientiarum, bonæ famæ,* & spe-

Monialium claustris præficiendi viri integri.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& specialiter *de vitio carnis non suspecti*, præficiant.

Qvi *soli*, aut si facultas monasterii aut claustri ad tantum se extendat, *cum famulo fideli*, omnia & singula ad extra facienda pertractent & faciant, cum omni fidelitate & diligentia. Sicut ad illa *præstare* tenebuntur *juramenta*.

Qvi etiam *singulis annis* de receptis & distributis eorum ordinariis aut superioribus religiosis, vel saltem deputandis per illos, bonam, legalem, plenam & exactam *facient rationem*.

De eodem.

CAP. XXIV.

De æquali in monasteriis victu & amictu.

INæqualitati victus & amictus, quæ in vita regulari & religiosa invidiæ aliorumq; vitiorum non modicam materiam subministrat, volens *obviare hæc sacra synodus* disponit & ordinat, locorum Ordinariis, sub pœna excommunicationis, districtius committendo, quatenus, si ut antea cuiquam *religiosæ personæ*, virilis aut muliebris sexus, *reditus perpetui ad vitam*, pecuniales aut alii quomodolibet assignentur seu deputentur, illi personæ post suam professionem non in singulari, sed omnibus in communi conveniant per eorum superiorem, Præpositum aut negotiatorem, assignandi: Similiter, qvod omnes in refectorio communi *de una olla* comedant, *de eodem & potu* bibant, & *de uno & eodem vestiario* vestiantur: Similiter, ne infirmaria faciant, nisi una vel plures personæ infirmitatis, tam seorsim qvam sua necessitate, semper de communi sua recipiant nutrimenta.

De eodem.

CAP. XXV.

De diverso Monachorum habitu.

MAndat insuper & *præcipit hæc sacra synodus* sub excommunicationis pœna, qvatenus qvilibet religiosus, tam in monasterio, claustro aut conventu, quàm extra, *habitum sui ordinis distinctum* in colore, figura & dispositione ab habitu alterius ordinis, secundum uniuscujusque religionis institutionem & observantiam regularem deferat. Ut videlicet inter *Benedictum* & *Bernhardum*, inter *fratrem Minorem* & *Augustinum*, in dictis monasteriis, claustris, conventibus, in choro, foro & in campis, equitando vel ambulando, sit differentia manifesta.

TITULUS XI.

De Jure Patronatus.

CAP. I.

De Vicariis perpetuis constituendis.

SUper *incorporalibus parochialium Ecclesiarum*, mensis prælatorum, nec non Ecclesiis, monasteriis, prioratibus & conventibus, utriusque sexus hominibus, secularibus & regularibus factis, in quibus cautum est, & in literis desuper confectis communiter caveri consvevit, quod *vicariis perpetuis*, dictas Ecclesias regentibus, onusque diei & æstus portantibus, de *congrua, condecentiq; provideatur portione*, unde se cum honesta familia sustentare, hospitalitatem servare, juraque episcopalia solvere, & alia incumbentia onera valeant supportare:

Ex fomite avaritiæ abusus juris Patronatus.

Ex fomite avaritiæ illa provenit enormitas, ut prædicti Prælati Ecclesiæ, monasterii, conventus, & prioratus, imo & rectores, nec non laici Ecclesiarum & beneficiorum Patroni, *cum vicariis* dictarum Ecclesiarum *præsentandis*, vel ad eas promoveri cupientibus, & interdum, quod adhuc pejus est, *minime idoneis & inhabilibus*, *pacta* singularia, interdum literis & sigillis, & quandoque fidejussoria cautione dictorum vicariorum,

Cum præsentandis clericis pacisci nefas.

rum, aut promoveri cupientium *vallata*, faciunt, & sic procurant de tam exigua, tam sacerdotali statui indecenti portione, *totum residuum sibi imbursantes* & retinentes, ut præmissa nedum facere nequeant, sed & miserabiliter sub tanta laborum & rerum sarcina cogantur egere: Imo & quidam de oblationibus suis, quæ incertæ sunt, & ad certum taxari non possunt, certam partem interdum non modicam patronis suis dare & assignare compelluntur, contra Deum, justitiam & omnem æquitatem.

Imbursandi ars.

Volens igitur *hæc sancta Synodus* illis pauperibus de optimo remedio providere, ut circa hæc servetur *constitutio* fel. record. quondam Domini *Clementis* V. quæ incipit: *Ut constitutio*, *Clementinar. lib. 3. tit. 12. De jure Patronatus*, *cap.* 1. cassat & *annihilat hujusmodi* quæcunqve *pacta*, taliter exacta, *præterita* & similiter *affutura*.

Nihilominusqve super juramentis factis & fiendis in hujusmodi *vitiosis contractibus* misericorditer dispensat: Omnibus taliter oppressis & minus bene provisis *dando licentiam hujusmodi*, *eorum gravamina in hac sacra Synodo*, aut aliis provincialibus vel synodalibus, seu aliis competentibus judicibus *proponendi*, & debitam eorum compentiam à Patronis eorum exigendi & obtinendi. Qvibus & *hæc sacra Synodus*, aut etiam aliæ synodi dictæ, vel judices, per assignationem & deputationem portionis condecentis, si alias sint habiles & idonei, providebit aut providebunt.

Gravamina cleri contra Ecclesiarum patronos in Concilio Const. audienda.

Quod si Ecclesiarum Patroni & rectores talibus assignationibus & *deputationibus condecentis portionis*, vel per concilium aut per judicem factis, se opponant qvovis modo; Probatâ contradictione, sint illis Ecclesiis, & earum canonibus privati, ipsorumque collatio & dispositio ad immediatum superiorem devoluta.

De eodem.

Cap. II.

Statuit igitur & *ordinat hæc sacra synodus*, districtius præcipiendo omnibus & singulis Ecclesiarum prælatis, Archidiaconis, Præpositis, eorumq; officialibus, qui *de jure* aut *de consvetudine* instituere habent ad Ecclesiastica beneficia præsentatos, sub pœna privationis omnium suarum dignitatum & officiorum, quatenus ut antea *ad præsentationem Laicorum* nequaquam instituant aut investiant *personas non idoneas*, *scientiâ*, *moribus & ætate*, ad qvæcunqve beneficia Ecclesiastica, maxime curam animarum habentia: *Præsentatosq;*, etiamsi aliàs essent idonei, præstito juramento diligenter *examinent*, *anne suis patronis novas pensiones*, advocatias, aut aliud simile promiserint, se solutures, aut promiserint vel promittere intendant, medietatem, aut aliam partem decimarum Ecclesiasticarum patronos posse percipere.

De indignis ad officia sacra præsentatis.

Examina Candidatorum ratione contractuum Simoniacorum.

Et, si *diligenti inquisitione* tali præmissa, reperiantur *patroni* Ecclesiarum, sive sint *Ecclesiastici*, sive sint *seculares*, talia quomodocunqve fecisse, aut alias decimas Ecclesiarum talium, ad quas tales præsentati essent instituendi, hujusmodi patronos usurpasse: Tales præsentatos nullatenus instituant.

Etiam, si ejusdem patroni de facto, cum de jure non possint, eosdem vel alios præsentatos instituerint, Ecclesiasticam institutionem contemnendo, excommunicationis sententiam incurrant, & *à jure patronatus* seu præsentandi ea vice per superiorem supplendo *cadant* eo facto, institutusque similiter excommunicationem majorem incidat, & Ecclesia talis, tam ex culpa instituentis qvam instituti, Ecclesiastica sit supposita interdicto. A quo per loci Ordinarium relaxari non debeat: Nisi taliter institutus Ecclesiæ tali cedat, & pro sui delicti temeritate correctus, absolutionis & relaxationis beneficium mereatur obtinere.

TITULUS XII.

De censibus, exactionibus, procurationibus.

CAP. I.

Imbursare.

ADversus damnabilem *abusum*, quo quidam *Ecclesiastici Prælati* requirunt, exigunt, recipiunt, & *sibi imbursant fructus integros* unius aut duorum, vel medios duorum annorum aut etiam unius, in magnum detrimentum & gravamen pauperum, qui multa litigando exposuerunt, ac in principio introitus sui multis indigent, pro regimine domestico, & hospitalitate servanda: Cum tamen hujusmodi Prælati aliàs sint sufficienter abundantes, & reditus pro suis mensis habeant copiosos: Decernit *hoc sacrum concilium* & ordinat, hujusmodi oppressiones & *exactiones gravissimas* totaliter revocari, easque præsenti constitutione irritat & annihilat. Et secus aut in contrarium facientes excommunicationis sententiam vult incurrere ipso facto.

De Eodem.

CAP. II.

Moneta valor jam olim decrevit.

Salariorum decrementa ex moneta ducato decrescẽte valore.

CUm in quibusdam mundi partibus, per adinventionem, ut creditur, laicalem, *Ecclesiastica beneficia*, in censibus & *pensionibus pecunialibus* ab olim nobiliter & bene dotata, jam *propter moneta diminutionem & decrescentiam in valore*, nec non propter variationem & vocitationem, tam *exilia* sint & parva, ut, qvi olim habuit de suo beneficio triginta vel quadraginta ducatos, vix nunc habeat decem aut modicum ultra: Quia ubi quondam *libra æquipollebat viginti solidi libram faciebant*, nunc vix quatuor libræ ducatum faciunt, quia & apud illos *vix tres denarii Constantienses faciunt solidum*: Et pensionarii nihil aliud nisi *secundum currentem monetam* solvere volunt: Idcirco decernit & *ordinat* in favorem Ecclesiastici status *hoc sacrum concilium*, quod Ecclesiastici reditus non nisi in illo valore, prout antiqvitus vel etiam post fuerunt, in sui emtione, donatione, aut legatione, integraliter & sine diminutione persolvantur. Quia *iniqvum* omnino foret, *ut æqualiter alteri deserviens* in suo Ecclesiastico stipendio *pati deberet detrimentum.*

Æquale salarium inter æqualiter serviẽtes.

De Eodem.

CAP. III.

Contractus pecuniarum cum novis canonicis.

Imbursatio.

CUm nonnulla Ecclesiarum capitula quædam nimis *intolerabilia pauperibus, exorbitantia statuta* habere noscantur, videlicet, quod vacantibus aliquibus canonicatibus & præbendis *nullus de novo admittitur, nisi magna pecuniarum soluta quantitate*: Ita etiam, quod talem admittendum pluribus annis antequam ipsam præbendalem portionem accipiat, ut 4.5.6.8. vel pluribus annis, oporteat expectare: Quo contingit, quod *pauperes* etiam, quantumcunque alias *idonei*, post gestarum litium expensas nimium prægraventur: Idcirco talibus gravaminibus & *exactionibus* succurrendo, ne *per inbursationem vitium simoniacæ prævitatis sapere* videantur, decernit & *ordinat hac sacra synodus*, quod *in admissione canonicorum* ad præbendas *pro introitu præbendatus* ille amplius non solvat quam sicut *media præbenda unius anni* se posset extendere. Et illam medietatem solvet anno primo, quæ *pro ornamentis Ecclesiarum* cedere debet. In secundo anno similiter medietatem solvet *pro Ecclesia fabrica* conservanda. Et consequenter medietatem tertii anni solvet *pro decessore defuncto*, ad ejus debita, si restent, persolvenda, alioquin *pro ejus memoria* ad distributiones quotidianas convertendam. Et tunc ad plenam perceptionem admittatur.

Novi Canonici quid solvere debeant, & in quem usum.

Pro quibus *mediis fructibus illorum trium annorum* colligendis in qualibet Ecclesia unus vel duo *probi & idonei* eligantur, qui, sub fide præstita loco juramenti, eosdem fructus fideliter colligant, & *ad u-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad usus præfatos præcise convertant, Capitulo de hujusmodi perceptis & expositis rationem reddituri.

Et si secus actum fuerit, per Ecclesiarum & capituli sententiam suspensionem à divinis incurrant eo ipso, nullatenus relaxandam, nisi perceptis restitutis, quæ ultra taxam prædictam receperunt.

De eodem.

CAP. IV.

De Ecclesiasticorũ bonorum immunitate à vectigalibꝰ.

HÆc *sacrosancta Synodus Constantiensis* omnes & singulos, qui *à personis Ecclesiasticis, eorumq; bonis*, frumento, vino, & rebus aliis, quæ negotiandi causa non deducuntur, *telonia, pedagia*, aut alia exactionum genera, requirunt, exigunt & recipiunt, ex nunc prout ex tunc excommunicat, eo ipso excommunicatos esse denunciat, & ab omnibus Christi fidelibus arctius evitandos, quousqve, receptis & exactis restitutis, absolutionis beneficium à suo ordinario duntaxat, aut ejus in spiritualibus vicario mereantur obtinere.

Ceterum si *Ecclesiasticus prælatus* talia commisit, nisi statim restituto tam turpiter accepto, in sui ipsius status, quem usqve ad sangvinem erga laicos defensare deberet, verecundiam, per solum summum pontificem, nisi in mortis articulo, absolvatur.

Fidem autem, *quod talia sint Ecclesiastica* bona & non negotiationis causa deducta, faciendam esse decernimus *literis illorum Ecclesiasticorum, quorum res hujusmodi propria sunt*, & ipsis telonariis ostendendis, nullo aliorum suorum Dominorum mandato desuper expectato.

De eodem.

CAP. V.

De pristina quadã Clericorũ servitute.

COntra *Principes* tam *Ecclesiasticos* quam *seculares*, Ecclesiarumqve & monasteriorum advocatos & defensores, qui *singulari exactionis genere* Abbates, Priores, Præpositos, cæterosque religiosos, eorumqve monasteria, ultra decentium hospitalitatum onera per *vecturas*, aliasqve *servitutes*, per *venatores, falconarios, canes & aves*, nec non etiam, qui clericis secularibus *canes* committunt nutriendos, nimis gravant, processuri, eos excommunicationis sententiâ constitutione præsenti innodamus: A qua inferior non nisi per Ordinarium loci, aut ejus in spiritualibus vicarium, sed Prælatus Ecclesiasticus à solo summo Pontifice, præterqvam in mortis articulo, recompensatis damnis absolvatur.

TITULUS XIII.

De consecratione Ecclesiæ & altaris.

CAP. UNUM.

De novis capellis.

MAndat & *præcipit hæc sacrosancta Synodus*, quod Episcopi amplius *capellas* & altaria, præsertim in civitatibus, oppidis, villis aut campis, extra monasteria & conventus religiosorum sitas & sita, *noviter erectas* aut erecta, nullatenus consecrent, nisi prius hujusmodi *capellæ* aut altaria sint *sufficienter dotata* pro regentium congrua sustentatione, & per Ordinarium in Ecclesiastica beneficia confirmatæ & confirmata: Sub pœna suspensionis ab officio per unum integrum annum duratura, quam contrafaciens Episcopus incurrat eo ipso.

TITULUS XIV.

De celebratione missarum.

De novis festis sanctorum & sanctarũ.

QVia nonnulli in cathedralibus & collegiatis Ecclesiis *specialia festa sanctorum aut sanctarum*, nec non pro suarum, suorum progenitorum hæredumqve animarum salute *missas pro defunctis* disposuerunt, disponunt, celebran-

De missis pro defunctis.

brandas: Qvo fit, ut illius diei officium vel totaliter omittatur, vel prætermissa solennitate observetur sine nota: Ne igitur unum *devotionis opus voluntarie impositum* reliqvum de jure debitum impediat quovis modo, & *clerus magis celer pro pecunia quam pro divina obtinenda gratia* videatur: *Statuit hæc sancta Synodus*, quod dictis institutis festis, & animarum commemorationibus peractis, clerus illius Ecclesiæ reliquam missam ejusdem diei cum nota, sicut officium exigit, decantet. Sub pœna suspensionis ab officiis divinorum. Qvam ex negligentia dicti officii omnes, *qui reliquis officiis pro lucro suo interfuerunt*, incurrant eo ipso. A qua suspensione nullatenus absolvantur, nisi restituant ea, quæ in aliis institutis officiis receperunt, in pios usus convertenda.

Devotio voluntaria. Clerus promtior ad pecuniam quā ad Dei gratiam impetrandam.

De eodem.

CAP. II.

De canonis Missæ variis editionibus ac interpolationibus.

EO, quod *canon missæ* in aliquibus libris terrisqve *diversificatus* existat: Primo, quia in novis libris in principio canonis habentur: *& omnibus orthodoxis catholicæ & Apostolicæ sedis cultoribus:* Et hoc totum non habetur in antiquis libris: Et quidam notabilis expositor canonis ponit, quod poni non debeat.

Item in sequenti oratione post memoriam vivorum antiqui libri solum habent: *Qui tibi offerunt*, sed novi habent: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Item in oratione sanctissimi tractatus antiqui libri habent: *Bibite ex eo omnes.* Alii vero habent: *Bibite ex hoc omnes.* Et sic etiam habent in Evangelio Matthæi, scilicet: *Ex hoc.*

Item aliqui ante elevationem calicis, statim & conjunctim post verba consecrationis, tanquam ad consecrationem pertinentem dicunt hanc orationem: *Hoc quotiescunq; feceritis.* Alii vero dicunt post depositionem calicis.

Item in sequenti oratione, scilicet: *Unde & memores nos servi tui, sed & plebs tua sancta Christi filii tui*; Et alii addunt pronomen, dicentes: *Ejusdem Christi filii tui.*

Item in oratione *Supplices* aliqui hacent *in conspectu*, alii vero, *in conspectum.*

Item aliqui habent: *Memento Domine & eorum, qui nos præcesserunt*, sed alii addunt: *Famulorum, famularumque tuarum.*

Item in sequenti oratione alii tantum: *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus*; Alii addunt: *Hic & ubiq; quiescentibus.*

Item in Oratione: *Nobis quoq; peccatoribus, famulis tuis*, aliqui addunt: *& famulabus.*

Item in Oratione: *Liberanos, quæsumus Domine, ab omnibus* &c. & infra: *Et beatis Apostolis tuis, Petro, Paulo, atq; Andrea*, aliqui post hoc addunt *Patronos majoris Ecclesiæ, & alios quamplures sanctos.*

Et in fine orationis dicitur: *Cum omnibus sanctis*, aliqui addunt: *Tuis.*

Aliqui post conclusionem cujuslibet orationis *per Christum*, vel, *eundem Christum*, dicunt, *Amen*, alteri vero non.

Item post precationem de sancta Trinitate, qua concluditur: *Adoretur æqualitas*, aliqui legunt: *Quam laudant Angeli, adorant dominationes.* Sed alii legunt: *Quam laudant Angeli, venerantur Arcangeli &c.*

Item in precatione de B. virgine aliqui legunt: *Lumen æternum mundo effudit.* Alii verò, *huic mundo lumen æternum effudit* legunt.

Condecens quoqve, tanti mysterii orationes & verba, & sicut indivisus est Christus, qui in altari conficitur, in omnibus dictionum & orationum verbis integraliter concordare: Idcirco *hæc sacra Synodus decernit*, & ordinat, quod *missalium librorum canones*, secundum distinctiones & verba canonis illius, qui seqvitur, corrigantur, & adaptentur in hac forma: *Te igitur.* &c.

Si placet, ponatur *canon secundum Missale Romanum* & Apostolicæ Ecclesiæ.

TITULUS

TITULUS XV.

De reliquiis & veneratione Sanctorum.

CAP. I.

LIcet sanctus sanctorum in suis sit sanctis non immerito venerandus, ex cujus venerationis devotione moti sancti Patres multorum *sanctorum & sanctarum festa* per subjectum sibi populum solenniter indixerunt, celebranda tam in choro, quam in foro: Tamen, quia attenta dictorum *festorum multiplicitate nimia*, & multitudine enormitatum variarum, quæ in his diebus, in visitationibus chorearum & tabernarum, & perpetrationibus ludorum, ebrietatum, commessationum, invasionum, altercationum, occisionum, blasphemationum nominis altissimi & sanctorum suorum, & quamplurima alia gravissima committuntur, & ex adverso utiles labores tam morales quam mechanici inutiliter negliguntur: Idcirco non ob irreverentiam Sanctorum, sed *ad evitandam hujusmodi congeriem vitiorum, & damna laicorum*, decernit & *ordinat hæc sacra Synodus*, hujusmodi *festa*, & specialiter *tempore æstivali*, quo videlicet pro sustentatione hiemali amplius oportet laborare, *minora* saltem, *quæ* videlicet *in antiquis juribus & Patrum decretis non sunt instituta*, fore *tollenda*. Moderamine cum tali, quod illa more consveto in Ecclesia, & apud Ecclesiasticos solenniter festiventur, tam per clerum quam per populum usque ad missarum complementum inclusive, & quod ex tunc populus laicalis per illius diei residuum suis laboribus sine prohibitione Ecclesiastica vacare valeat: Proviso tamen, quod *restantia divorum officia*, quoad alias horas canonicas illius diei *per clerum in choro* more solito solenniter compleantur: Festis tamen sanctorum patronorum in unaquaque parochia, ut moris est, festivandis exceptis.

De nimia festorum multitudine restringēda.

De eodem.

CAP. II.

COntra *abusum* damnabilem, quo ad *irreverentiam festi* præsolennis, *natalis Domini nostri JEsu Christi, in nocte ejusdem festi*, imo interdum continuando per diem, quidam *satrapæ Diaboli* attentissima & maledictissima intentione *ludunt ad taxillos nomine altissimi ejusdem, nomine puerperæ*, nec non omnium *sanctorum*, multipliciter blasphemantes: Volens *hæc sancta synodus* potenter exurgere, *statuit*, decernit & ordinat, quod nullus *talium lusorum* aut blasphematorum, si *clericus*, & in sacris sit, divinum officium infra sex mensium spatium peragere, aut eidem interesse: Si autem *laicus*, per dictum temporis spatium Ecclesiam introire præsumat.

Nec talium quisquam ad sacrum Eucharistiæ infra istum terminum admittatur. Et nec post. Nisi talis peccati gravissimi contritione & confessione emundatus, sex sextarum feriarum post mediate sequentium *in pane & aqua* duntaxat *jejunium* luat.

De superstitionib9 in festo Nativitatis Christi.

De eodem.

CAP. III.

CUm *ob avaritiæ quæstum*, laicali populo scandalisato, ut videtur, quidam *clerici* & religiosi, in suorum sanctorum Patronorum aut dedicationum festis, sanctuaria sua & *reliquias sanctorum*, extra eorum Ecclesias, monasteria & conventus, in cœmeteriis & quandoque in plateis *exponant*, ut tanquam eleemosynaria petitione *oblationes* recipere valeant *largiores*: Ideo *decernit hæc sacra synodus*, sub excommunicationis pœna districtius inhibendo, quam contrafacientes incurrant ipso facto, ne hujusmodi *exponentes*, turpissimam avaritiam præconisantes, quidpiam facere præsumant ut antea. Sed hujusmodi

De abusu in reliquiis sanctorum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

jusmodi sanctuaria & reliquiæ non nisi in altaribus, & infra Ecclesias, monasteria, conventus exponantur.

Et hæc sunt quæ de materiis titulorum tertii libri occurrere videbantur.

LIBER IV.

TITULUS UNUS.

De Matrimonio.

CAPUT UNUM.

De causis matrimonialibus dijudicandis.

QVia sacræ congregationi ex *querela quamplurium* innotuit, qualiter quidam *laici potentes* pro lege suis subditis statuerunt, quod, si quis, aut quæ, personam quamcunq; *super matrimonio* coram Ecclesiastico judice trahat in causam, si pars attrax in eadem causa fructum petat, sub gravi pecuniaria pœna talis pars agens illi Domino laico veniat punienda, quam pœnam effugiat, si causam hujusmodi coram illo laico & Domino, simpliciter & de plano decidendam intentabit: Quo fit, quod vera matrimonia, sine executione solennitatum etiam contracta, imperfecta manebunt, & per partes ad alias nuptias convolantes adulteria perpetua committentur, & perversitatis quadam lege laici de Ecclesiasticis sacramentorum institutis contra canonicas sanctiones judicabunt: Quapropter *hæc sacra synodus* omnibus & singulis Ecclesiarum subditis, Archidiaconis, presbyteris, & aliis, quorum de jure aut consvetudine interest *de causis matrimonialibus judicare*, sub excommunicationis pœna mandat, præcipiendo districte, quatenus habito diligenti scrutinio, si in terris aut dominiis cujuscunque laici aut Domini temporalis talia statuta, ordinata, promulgata, vel etiam servari reperierint, trium terminorum æqualiter distantium canonica monitione præmissâ, terras, oppida & loca ejusdem laici & Domini temporalis sanctissimo supponent interdicto, tamdiu servando, quousque hujusmodi execrabili lege revocata & cassata ille Dominus aut laicus suum errorem recognoscens promittat & juret, talia ut antea nullo unquam tempore attentare, sed potius hujusmodi causas, prout debitum est, Ecclesiasticis judicibus relinquere, libere sine quacunque prohibitione judicandas.

Et si Ecclesiasticus judex in executione contra tales negligens reperiatur aut remissus, probata negligentia in proxima synodo contra ipsum, etiam usq; ad privationem dignitatum & officiorum suorum inclusive, procedatur.

Et hæc de Quarto libro.

Seqvuntur nunc avisata capitula titulorum quinti libri Decretalium, quæ occurrebant avisanda.

LIBER V.

TITULUS I.

De accusationibus & denunciationibus.

CAPUT I.

Concilia provincialia reformationi morũ destinata.

QVandoquidem per *desvetudinem* & nonobservantiam *conciliorum provincialium*, *synodalium*, Metropolitanorum & Episcoporum, quæ secundum antiqua jura singuli pro accusatione, denunciatione & in

inquisitione malorum & *reformatione morum* servabant, *multa mala ex hujusmodi negligentia Ecclesiastico statui evidentius provenerunt:* Ut dictus Ecclesiasticus status ad aliqualia restaurativa proficere valeat incrementa, præsertim, cum quædam sint provinciæ nimis latæ, sic quod singulis annis convenire ipsis prælatis nimis foret onerosum: Idcirco statuit & *decernit hæc sancta synodus, quod concilia provincialia* in singulis provinciis post præsens finitum concilium infra annum, & tunc consequenter *de triennio in triennium*, & *synodalia* singulis annis, in locis aptis per *Metropolitanum* aut *Archiepiscopum*, aut etiam per *Diœcesanum* celebrentur & serventur, secundum modum & formam in jure expressos. Et quod sub pœna privationis suarum dignitatum, officiorum & beneficiorum, metropolitani, Episcopi, cæterique inferiores, qui alias debent interesse, illa concilia convocare, & vocati ad ea venire teneantur. Alioquin in proxima synodo sequenti, usqve ad privationem hujusmodi inclusive, si id contumacia aut rebellio exegerit, contra tales procedatur.

Frequenter celebranda Concilia provincialia.

De eodem.

CAP. II.

ITem *ordinat hæc synodus*, quod Archi-Episcopi, Episcopi, Archidiaconi, præpositi, Archi-presbyteri & cæteri inferiores Prælati, quorum est, de jure aut consvetudine, *excessus clericorum & laicorum corrigere*, omnibus odio, amore, prece aut pretio seclusis, *singulis annis* visitanda *visitent*, corrigenda *corrigant*, excessus quoque tam per accusationem, quam per impositionem repertos & cognitos, secundum eorum qualitatem medicamentis congruis, secundum modum & formam juris expressis, charitative corrigant, non quærentes, exigentes aut recipientes *ad sibi inbursandum lucra pecuniarum, sed quærentes lucra animarum.*

De Visitationibus Ecclesiasticis annuis.

In visitationibus magis quæsita lucra pecuniarū quam animarū.

Et quicunque secus egerit, aut negligens in hoc repertus fuerit, ultra pœnas juris secundum deliberationem synodi proxime sequentis puniatur, usq; ad privationem dignitatum & beneficiorum inclusive, aut alias secundum commissi aut omissi delicti qualitatem.

De eodem.

CAP. III.

DEcernit insuper & ordinat, quod *prælatus*, sub pœna privationis suæ dignitatis, in *puniendo crimina & excessus clericorum aut laicorum*, *pecunias*, cupiditatis & avaritiæ, mulctans *non recipiat* in emendam, ut *sibi eas imbursset*, sed spirituales injungat emendas, illius criminis aut excessus curaturas: Vel si in defectu alterius punitionis *pecuniariam mulctam* imponat delinquenti, illam tamen evidenter in pios usus convertat, ut ipse de *avara inbursatione* notari non valeat.

De Mulcta pecuniaria in delictis.

Imbursatio avara.

Et nihilominus in suo processu ordinem juris servet, defuncto cuicunque, qui forsan de numero existit salvandorum, crimina vel excessus non imponat. Alioquin *in proxima synodo*, & secundum ejus determinationem, usqve ad privationem inclusive, talis prælatus puniatur.

De eodem.

CAP. IV.

COnsiderato, quantum malum sit, notoria *crimina*, sive excessus, *totam communitatem inficientia* seu inficientes, dissimulando tolerare, cum hoc sit *omnibus vitiis laxare frenum:* Idcirco *decernit hæc synodus sacrosancta*, si aliquis Dominus temporalis, aut communitas quæcunque, contra Ecclesiasticos prælatos, quorum interest, se opposuerint visitationi aut correctioni noto-

De notoriis ac publicis criminibus.

notoriorum vitiorum, ut sunt *hæreseos, adulterii, fornicationis, perjurii, decimarum & usuræ*, & hujusmodi, nec talis Dominus & communitas, ita, ut non sint per se talia, corrigere videantur, quod primo trina canonicâ monitione per æqualia temporum intervalla factâ, terra illius Domini, & præfata communitas divinorum cessationi subjaceat tam diu, & quoadusque hujusmodi *notorii excessus* & crimina *per prælatum Ecclesiasticum tali pœna premantur, ut cæteris cedat in exemplum*, & excedentes hujusmodi, ut obstruant in futurum, districtius arceantur.

De eodem.

CAP. V.

De visitatione Beguardorũ ac Beguttarum.

INterdicendo etiam *prohibet hæc sacra Synodus* omnibus Dominis temporalibus & communitatibus, ne *Beguardos & Beguttas*, qvas propter suspicionem singularitatis suæ vitæ *frequentius* oportet *visitare*, contra visitationes Ecclesiasticas quoquo modo defendant, sed eas dem circa eos fieri permittant.

Alioqvin si secus per eos aut contrarium factum fuerit, si tertio moniti non desistant, terræ, loca & communitates eorum protinus Ecclesiastico sint supposita interdicto.

TITULUS II.

De Simonia.

CAP. I.

De Simonia in officiis Ecclesiasticis conferendis.

E*Lectus* seu postulatus ad aliquam Ecclesiam vel dignitatem, cum ejus confirmatore omnibus modis *pacta* qvæcunqve *simoniaca pro pecunia aut alia quacunque re utili facere* vel tractare *caveat*.

Imo *confirmator* ipse *pecuniam* & aliam quamcunqve rem *nullatenus petat vel accipiat*, aut quomodolibet *det confirmatus*, sub pœna privationis omnium dignitatum, officiorum & beneficiorum suorum, & inhabilitationis ad obtinenda, quam incurrant eo facto: Excepto *salario* & pretio notariorum & scriptorum, quod taxam viginti florenorum de curia non excedat.

Et quia in istis contractibus *receptio & datio pecuniarum secretius fieri* consvevit: Ideo ad hoc probandum *fama sufficiat*, ad effectum privationis supra dictæ. Nisi ipsa canonica purgatione tolleretur.

De eodem.

CAP. II.

De Episcopis titularibus Simoniacis.

QVia à longis temporibus humani generis hoste procurante nonnulli imò multi *Pontificali dignitate sublimati*, quibus ex debito incumbebat pontificalis officii, sacrorum & inferiorum ordinum ministeria, nec non consecrationes & alia *pontificalium actuum exercitia* per se, *gratis sine quarumcunq; pecuniarum exactione* celebrare, hujusmodi exercitia aliis *Episcopis titularibus*, pauperibus, & aliunde, unde viverent, non habentibus, interdum *annua pensione ex pacto*, seu alias *solutâ*, commiserunt exequenda: Qvi differenter secundum differentias ordinum aut rerum consecratarum, implicito & explicito pacto, de ordinatis vel de consecratis aut reconciliatis rebus *pecunias* nedum *receperunt*, sed & satis *inhumaniter extorquendo exegerunt*, *vitium simoniacæ pravitatis* miserabiliter & satis impudenter nedum *exercendo*, sed alios, recipientes hujusmodi ordines ac de consecrationibus aut reconciliationibus paciscentes damnabiliter maculando: Idcirco *hæc sacra Synodus* volens *tale vitium*, tam *evidenter Ecclesiam Dei scandalizans*, in quantum potest, *extirpare*, statuti

tuit & decernit: Qvod quilibet *Archi-Episcopus vel Episcopus* præfatos suos quoslibet actus Pontificales vel per se ipsum, si poterit, alioquin per substitutum Pontificem catholicum, gratiam & communionem sanctæ Apostolicæ sedis habentem, *gratis, absq; omni datione aut exactione pecuniarum, prævia vel sequenti*, ipsi Pontifici, janitoribus, intitulatoribus, examinatoribus, Scriptoribus & Servitoribus, quomodolibet cum pacto vel sine pacto solvendarum, exerceat, aut faciat.

Literarum testimonialium, quæ *formata* nuncupantur, pro quibus unus solus grossus aut ejus valor, tam pro sigillo & cera quàm scriptura, solutione: Vel si Archi-Episcopum vel Episcopum ad extranea remotiora loca pro consecratione aut reconciliatione Ecclesiæ, monasterii, cœmeterii, altaris vel capellæ proficisci contingat, præcise moderatarum & supportabilium expensarum & non ultra, procuratione duntaxat exceptis. Et cum ordinatione ac dispositione, quod Episcopo ordinato, consecranti aut reconcilianti, sub præstituto de reditibus mensæ suæ principalis taliter & tam sufficienter provideatur, ne egestate gravatus sibi *in sacris actibus forsitan Simoniace quæstum quærat.*

Qvod si secus actum fuerit, ut, quod pecuniæ ultra id, quod præmittitur, erogentur, dentur aut recipiantur, sit ipse *ordinans*, vel alium actum Pontificalem exercens, tam principalis quam substitutus, ultra alias pœnas juris eo ipso sua dignitate pontificali privatus, & inhabilis ad eandem: Et taliter *ordinato* ab officio suo suspensus tamdiu, donec à solo summo Pontifice aut generali concilio à tali suspensione relaxari mereatur.

Et nihilominus, quia hactenus *talis damnatæ corruptionis abusus* nimium invalescens quasi *totum ordinem Ecclesiasticum* receptione hinc inde per diversas mundi partes *infecit*, ita, *ut pauciissimi inveniantur, qui non sint hoc vitio maculati* seu decepti: Idcirco *hæc sacra Synodus*, errantium multitudini compatiens, velut pia mater, omnes taliter promotos, aut qui aliter commode promoveri non poterant, à singulis excommunicationum & suspensionum sententiis, quas taliter ordinati usqve ad præsens incurrerunt, aut inciderunt ipso jure, postquam coram taliter commissa aut delicta suis confessoribus in foro conscientiæ, & confessionis exposuerunt accepta secundum modum culpæ pœnitentia salutari, ex nunc prout ex tunc absolvendum & relaxandum decernit, nec non præsenti constitutione absolvit & relaxat. Super irregularitate seu inhabilitate quacunqve in officiis ordinum suorum ministrando quomodolibet hactenus attracta, pie & misericorter dispensando: Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunqve.

Simonia olim totū infecit ordinem Ecclesiasticū.

De eodem.

CAP. III.

De Arte quorundā olim Prælatorum Ecclesiasticorum, bursas suas implendi.

QVoniam quidam *Ecclesiarum prælati repletis bursis suis*, labores, ad quos bene ditati habiles essent, volentes effugere, *pacta secreta ineunt cum successoribus*, quos in vita deputant præficiendos: Qvæ quidem facta utiqve *sapere* videntur *Simoniam*: Ideo *decernit hæc sacra Synodus*, quod tales ultra sententiam excommunicationis, quam incidunt, omnibus honoribus & dignitatibus sint privati eo facto, pactaque hujusmodi nullius sint roboris vel momenti: Et si recipiens *quidquam sibi de hoc inbursaverit*, aut receperit, sub pœna prædicta restituere teneatur. Ad effectum autem privationis hujusmodi sufficit *probatio per famam.* Nisi talis purgatione canonica tollatur.

Imbursare.

TITULUS III.

Ne Prælati vices suas aut Ecclesias sub annuo censu concedant.

CAP. UNUM.

De jurisdictionibus Ecclesiasticis olim pro certo pretio venditis aut locatis.

CONtra hos prælatos, judices inferiores, qui suas *jurisdictiones Ecclesiasticas & temporales pro pretio vendere vel locare* solent, vel ad tempus vitæ suæ, vel determinatum & certum: Qvo quidem modo fit, quod venditur seu locatur justitia, *sanguisq; & sudor pauperum per horrendissimos exactionatores emungitur*, & totus Ecclesiasticus status odio fit simplicitati laicali: Idcirco tantæ iniqvitatis malo *hæc sacrosancta Synodus* obviare volens *decernit* & ordinat, quod ultra alias pœnas in jure statutas contra tales tam venditores quam emtores & locatores, in proxima Synodo sequenti procedi possit & debeat, usqve ad suarum dignitatum, officiorum sive beneficiorum ptivationem inclusive.

TITULUS IV.

De Magistris.

CAP. I.

Academiarum privilegia in Concilio Constantiensi parta.

EX qvo *hujus sacri concilii autoritas universitatum & studiorum generalium Magistris & Doctoribus plurimas prærogativas concedit*, & ulteriores concedere est qvamplurimum inclinata: Idcirco, ne illarum occasione quidam minus idonei aut indigni, prece, pretio, vel amore, scientiarum gradus sibi forsitan nimis ardenter procurare præsumant, statuit & *ordinat hoc generale Concilium*, quod in generalibus Studiis ad *gradus singularum Facultatum* nullus vel nulli ut antea *promoveantur, nisi per rigorem districti examinis.* Et prætertim talium *examinatores*, qui ad manus Cancellarii, vel Vice-Cancellarii illius universitatis actu congregati, promittant, & tactis sacrosanctis scripturis jurent, *dignos & idoneos* admittere, indignosque & inidoneos refutare, omnibus prece, pretio & amore vel timore penitus postergatis.

De gradibus Academicis.

De eodem.

CAP. II.

De Theologorum diversis opinionibus.

CUm experientia teste videantur ex *varietate opinionum*, præsertim *in sacra pagina*, quæ ex utraque parte per doctores Ecclesiasticos opinative tenentur, & tamẽ neutrum illarum sancta determinavit Ecclesia, ut, *beatam virginem esse vel non esse conceptam in peccato originali*, in universitatibus studiorum generalium, & aliàs per orbem, in ordinibus fratrum, seditiones plurimæ & scandala plurima suboriri: Ideo *decernit hæc sacra synodus*, & inhibet sub excommunicationis pœna districtius, *ne* ut antea *in publicis sermonibus ad populum quisquam hujusmodi opiniones prædicet, sed si quis de illis quid velit asserere, in scholis aut in collationibus ad clerum; Nihil tamen temere definiendo, sed probabiliter disputando asserere vel definire partem suam.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

TITULUS V.

De Judæis.

CAPUT UNUM.

De Judæorum conversorum bonis.

QVia, ut expertum est, quamplurimi *Judæi utriusque sexus* homines, per usuram acquisita restituere metuentes, ad Christianismum suscipiendum alias satis inclinati, seorsim abierunt, in sua perfidiâ tanquam desperati remanentes: Ideo *hæc synodus sacrosancta decernit* & ordinat, quod *Judæus*, ad fidem catholicam venire volens, non nisi *in quantum medietas ejus substantiæ*, tam in mobilibus quam immobilibus se extendit, eis, *a quibus usuras*, si supersint, *recepit*, alioquin hæredibus, secundum proportionem usurarum receptarum, restituere teneatur, reliqua medietate sibi & suis liberis absque mendicitate educandis in modum *eleemosynæ* misericorditer derelicta.

TITULUS VI.

De raptoribus & violatoribus.

CAP. I.

De injuriis clero & ejus opibus inatis.

QVoniam *insolentia laicalis clero oppido est infesta*, adeò, quod plerique laici injustis diffidationibus, captivationibus, occisionibus, reluctationibus, mutilationibus, proscriptionibus & invasionibus violentis in *Ecclesiasticas personas*, & *eorum Ecclesiastica bona*, nec non libertatem Ecclesiasticam graviter lædere & molestare non verentur: Idcirco, ut tam nefando crimini, etiam apud infidelium sectas inaudito, obvietur, ultra canonicas & legales sanctiones statuit & *ordinat hac sacra synodus*, ut quilibet in futurum *ad sacros ordines promovendus* per Episcopum ordinantem prius *examinetur* fideliter & diligenter, *an ipse*, ejus *pater*, aut *avus*, usque ad tertiam generationem, personas Ecclesiasticas, eorum bona aut libertatem Ecclesiasticam taliter, ut præmittitur, unquam à tempore præsentis constitutionis invaserit, aut invadi procuraverit, directe vel indirecte, publice vel occulte. Et si sit talis, inhabilis ad Ecclesiasticum ordinem nullatenus admittatur, nisi habita Apostolica dispensatione. Qvæ etiam nullatenus concedatur, nisi prius facta læsorum satisfactione debita & condigna.

Simile qvoqve examen diligens & exactum fiat de noviter admittendis ad consortia clericorum, dignitates, administrationes, officia & præbendas, nec non ad Ecclesiastica beneficia quæcunque, Ecclesiarum tam cathedralium, qvam collegiatarum secularium & regularium qvarumcunque, ut talis puniatur in se, vel in semine suo, & conseqventer, ab iis, in quibus tanqvam ministris Domini ausus fuit temerarie malignari.

Ceterum si Episcopus examinans aut admittendus secus fecerit, sint tales excommunicati ipso facto.

De eodem.

CAP. II.

De violatoribus libertatis Ecclesiasticæ.

QVia qvarundam Ecclesiarum personarum & suorum canonicorum, eorum invasorum, & *Ecclesiastica libertatis violatorum*, in tantum excrevit, cum contumacia assumtæ temeritatis, audacia, ut aboleri non valeat, nisi per excessivam exaggerationem pœnarum: Idcirco hæc sacra synodus

nodus omnibus Principibus, Ecclesiasticis & secularibus, nobilibus, magnatibus, comitatibus, & oppidis, earum eorumqve rectoribus & capitaneis, in virtute sanctæ obedientiæ districtissime prohibet, ne tales *invasores & violatores*, saltem monitorios, ut antea, terras, civitates, castra, & loca eorum, etiam sub salvo conductu, nisi in causa tractandæ concordiæ, ex parte violentationis & invasionis hujusmodi subintrare, ibidem stare, aut morari permittant quovis modo, imò realiter & effectualiter tales excludant.

Quod si non fecerint, sit talis *locus*, in qvo hujusmodi præfractores notorii fuerint receptati, statim visis eis, & post eorum recessum usque ad triduum inclusive, *Ecclesiastico suppositus interdicto*, in pœnam laicorum, qui talibus præfractoribus tam notorie communicare præsumunt.

TITULUS VII.

De crimine falsi.

CAPUT UNUM.

De literis Papalibus examinandis.

QVidam *prælati* sub specie justitiæ, ut criminum falsitatis amotivæ, subtiliter *adinvenerunt modum examinandi omnes literas, tam Apostolicæ sedis, quam legatorum & subdelegatorum eju*, & super dicta examinatione dare literas testimoniales, quas *Vidimus* nuncupant: De quibus multas & magnas extorquent pecunias, & quandoq; majores, qvam eædem literæ in curia Romana sunt taxatæ: Videntur; & examinantur per illos frequentius, qui eas vix legere, minus intelligere, imo & nullo modo inter falsum, nec non, facilem discretionem habere possunt: Quo fit, quod *pauperes, in Romana curia labore & expensis fatigati & afflicti, amplius affliguntur* in justitia sua, cum dictæ literæ denegantur, aut expedire non traduntur, & impediuntur, in Apostolicæ sedis vilipendium, nec non pauperum præjudicium & gravamen: Idcirco statuit & ordinat hæc sacra synodus, sub excommunicationis pœna mandando omnibus & singulis Ecclesiarum prælatis, quatenus in quolibet loco seu cathedrali Ecclesia deputent unum *doctorem in jure canonico*, vel saltem in jure peritum, expertum, conscientiosum, & bonum hominem, Deum timentem, & justitiam diligentem, qui examinare habeat hujusmodi literas, & *tradere testimoniales*; Ultra duos grossos Thuronenses, vel secundum quantitatem valoris eorundem nullatenus recipiendo. Quas si, repertis literis non suspectis, tradere recusaverit, vel contra diem fatalem, contra voluntatem petentis, dare distulerit, qui etiam quid ultra, quam præmittitur, exegerit, sit talis eo ipso ab ingressu Ecclesiæ per sex integros menses simpliciter interdictus. Et nihilominus in proxima synodo veniet gravius, si id delicti qualitas poposcerit, puniendus.

TITULUS. VIII.

De excessibus prælatorum & subditorum.

CAP. I.

Insatiabilis avaritia vorago.

QVia cupiditas & *avaritia vitium in quibusdam prælatis adeo excrevit*, ut velut *vorago insatiabilis* evidenter videatur: Quo, attractis sibi canonicis, capitularibus sui capituli, forsitan per promissiones & munera, ipsosqve à contributione eximentes, & communicantes, *gravia, & magna*, cum sui capituli consilio, permissione, & assensu, imo quidam velut consvetudine ducti singulis annis, ultra sua jura Episcopalia *suo clero* frequenter & frequentius *Res pecuniaria*,

tius *imponunt subsidia consolationis*, seu *propinas* & *procurationes*, quæ sine visitatione contra canonicas sanctiones postulant, exigunt & reqvirunt, pauperes non habentes excommunicant, capitula & conventus suspendunt, Ecclesias, monasteria, terras, & loca Ecclesiastico supponunt interdicto: Qvorum occasione Ecclesiæ & monasteria gravissima & destructiva debita contrahunt, religiosi utriusqve sexus præ nimia egestate monasteria sua exire coguntur, pauperes curati, pauperiores, imo & pauperrimi efficiuntur, eleemosynæ pauperibus subtrahuntur, cultus divinus minuitur, & populus laicalis incarentia divinorum punitur innocenter: Idcirco *hæc sacrosancta synodus* volens huic *tam pestifero mori* de salubri remedio *providere*, disponit, ordinat, & decernit, quod hujusmodi *inferiorum prælatorum facienda contributio* locum admissionis nullatenus habeat: Nisi, talis necessitatis urgentibus *causis in concilio provinciali* primitus *deductis*, omnes comprovinciales prælati, majores & minores, aut saltem duæ tertiæ eorundem cognitæ, tum definiant & concludant, hujusmodi subsidium & relevamen talis instantis & supplicantis, aut ejus Ecclesiæ, fore & esse petendum, exigendum & sublevandum: Sub tali tamen moderamine, quod ex eo, aut ejus freqventia, subditæ Ecclesiæ, collegia, monasteria, conventus & capitula, singularesqve personæ Ecclesiasticæ, non nimis graventur.

Verùm, si qvisqvam prælatus in contrarium seu secus facere aut attentare præsumserit, ejus processus, censuræ, sententiæ & pœnæ sint nulli & nullæ, nulliusqve roboris vel momenti: Et insuper suâ Ecclesiâ seu dignitate sit privatus, alteri non tam ardenter cupido & avaro, sed magis idoneo conferendâ: Nec etiam suis hujusmodi processibus aut mandatis ejus subditi qvovis modo obedire tenebuntur.

De eodem.

CAP. II.

De clerici delinquentis pœna.

PRælatus, volens procedere contra subditum *clerum delinquentem* per accusationis aut inqvisitionis viam, ordinem juris omnino servet: Nullum etiam clericum cautionem de stando justitiæ exhibentem & habentem captivando aut incarcerando, ordine juris prætermisso: Nisi *notorie* & expressive reperiatur *criminosus*, aut à justitia fugitivus; Et tunc de *notorio* loqventia jura serventur.

Et si talis clericus subditus se per viam justitiæ defendere velit, caveat prælatus aut ejus judex, talis suæ defensionis præsidia petita, ut, advocatum, notarium & procuratorem, denegare: Qvinimo hujusmodi petitos sibi concedi sub excommunicationis pœna ad illius rei patrocinium mandare teneatur.

Qvod si secus aut in contrarium, aut per ipsum prælatum, seu ejus judicem, seu etiam officii instigatorem factum fuerit, eo probato, hujusmodi processus & sententiæ nulli & nullæ sint eo facto. Et sint in his culpabiles per triginta dierum spatium à suis officiis suspensi. Et nihilominus secundum deliberationem proxime seqventis synodi, secundum qvod qvalitas delicti poposcerit, corrigendi.

De eodem.

CAP. III.

De oneribus cleri inferioris.

COntra *Ecclesiasticos Prælatos*, qui Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Priorissis, Præpositis, Monasteriis, Conventibus, Ecclesiis, Ecclesiasticis personis & *clero existunt nimis graves in servitutibus*, *vectura currum* pro construendis ædificiis, expeditionibus exercituum, & armaturarum, & aliorum onerum inportabilium multiplicum, decernit & *ordinat hoc sacrum concilium*,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod hujusmodi *gravamina* ut antea non faciant Ecclesiastici prælati, sub excommunicationis pœna, quam incurrant ipso facto, & aliis pœnis in synodo proxima, & secundum ejus determinationem infligendis, districtius inhibendo. Qvia satis abominabile videtur, quod is, qui Ecclesiasticæ libertatis protector & defensor est positus, ipsius offensor efficitur, & Ecclesiasticas personas ad talem per se ipsum redigere nititur servitutem.

De eodem.

CAP. IV.

Contra prælatos Ecclesiasticos, eorumq; officiales & judices, qui pro pecuniario debito interdum satis parvo, dicentes, quod pro contumacia hoc fiat, Ecclesias, terras & loca *Ecclesiastico supponunt interdicto*, statuit & de novo *decernit hæc sacra synodus*, illam *Decretalem Extravagantem*, quæ incipit: *Provide attendentes, Extravagant. Commun. lib. V. tit.* 10. *cap.* 2. cum adjectione pœnæ majoris, videlicet suspensionis ab officio per unum annum integrum duraturæ, districtius observari. Nisi post illatam excommunicationis sententiam, post aggravationem & reaggravationem contra debitorem, tanta sit illorum locorum & terrarum, hominumqve & ipsorum potestatum potiorum & majorum pertinacia, quod utiqve excommunicato communicare frivole, & ipsum inter se confovere contendant. Qvo facto, si tunc per sex mensium lapsum terminum, moniti per trium temporum mediorum æqvalia intervalla, à tali pertinacia non desistant, sed contumaciter perseverent, tunc poterit Ecclesiasticus judex, ad instantiam partis, in Ecclesias, terras & loca dictorum Ecclesiasticum interdictum fulminare: *Extragante* prædicta, & aliis in contrarium facientibus non obstantibus qvibuscunqve.

TITULUS IX.

De privilegiis.

CAPUT UNUM.

De exemtionibus Ecclesiarum, factis ante tempora Concilii Const.

Cum interdum Domini seculares & temporales in eorum territoriis & dominiis certas Ecclesias, quæ alias de jure & consvetudine locorum Ordinariis & Archidiaconis, eorumqve jurisdictioni subjectæ fuere, *hujus nefandi schismatis tempore* in Collegiatas Ecclesias erigere, & erectas à talium Ordinariorum & Archidiaconorum jurisdictione totaliter eximere autoritate Apostolica ordinarunt: Advertens *hæc sancta Synodus*, quam *unicuique sua sint jura conservanda*, & nullatenus sine demeritis & evidentia auferenda: Omnes & singulas hujusmodi exemtiones, qvibuscunqve Ecclesiis & personis Ecclesiasticis in præjudicium ordinariorum & archidiaconorum, seu aliorum quorumcunqve factas, & præsertim hujus dolorosi schismatis tempore concessas, revocat & annihilat, talesqve nullius esse decernit roboris vel momenti.

TITULUS X.

De pœnitentiis & remissionibus.

CAP. UNUM.

Spiritualia omnia olim venundationi exposita.

Qvia *tempore hujus nefandi schismatis, quo singula quasi spiritualia publica exponebantur venditioni*, multæ *quæstuationes ac petitiones cum quamplurium indulgentiarum*

De indulgentiarũ multitudine refrenanda.

Res pecuniaria.

gentiarum & concessionum privilegio, ut verosimiliter præsumitur *pro pecunia plus quam pro animarum salute* sunt concessæ, in *gravamen pauperum & Ecclesiastici status ridiculum*, & qvibus velut ex qvalitate veniæ incentivum præbetur delinqvendi: Idcirco *hæc sacra Synodus* omnes hujusmodi *novas quæstuationes*, sub cujuscunqve facti aut factæ nomine *ab Apostolica sede concessas*, nec non omnia & singula *privilegia indulgentiarum*, concessionum aut gratiarum, cujuscunqve etiam sint tenoris & continentiæ, dictis novis & etiam antiqvis quæstuationibus & petitionibus, tempore jam lapsi schismatis, imo & tempore unionis, post constitutionem felicis recordationis quondam Domini *Clementis V.* quæ incipit: *Abusionibus*, *Clementinar. lib. 5. tit. 9 cap. 2.* qualitercunqve concessa, revocat, irritat, cassat, & *annihilat*, eaqve ut antea *nullius vult esse roboris vel momenti.*

Per hanc revocationem hæc Synod' *antiquis quæstuationibus* & petitionib', dummodo *per presbyteros bonæ famæ*, habiles & idoneos, *sine sermone publico*, sed cum literarum, petitionum suarum & *indulgentiarum antiquarum* vera expositione, sine commixtione falsitatis, & secundum formam dictæ *Clementinæ* fiant, aliquatenus derogare non intendit.

TITULUS XI.

De Sententia excommunicationis.

CAPUT UNUM.

De Contributione singulari inferioris cleri.

De excommunicatione temeraria.

QVia quamplures prælati interdum, â Romana curia, vel de alio loco venientes, pro jucundo adventu, aliis pro aliis causis, *charitativam subventionem* tanquam subsidium à suis subditis clericis postulant sibi dari, & in his sibi subveniri: Ne igitur *charitas in crudelitatem*, aut *jucunditas in pœnalem tristitiam* convertatur, *inhibet hæc sacra Synodus*, ne ut antea subditorum clericorum quisquam pro tali charitativo subsidio, aut adventu jucundo, *excommunicationis* sententiâ, qvæ omnium gravissima est, aliquatenus percellatur: Cum *talis pœna*, *non nisi pro mortali peccato infligenda*, hujusmodi delicti totaliter excedat quantitatem.

Si Prælatus secus aut in contrarium fecerit, sententiæ sint nullæ ipso facto, nulliusqve roboris vel momenti.

Verum, quod *si subditi*, *non compulsi*, *ex propria benevolentia*, *Prælato petenti velint subvenire*, *non prohibet accipere hæc sacrosancta Synodus. AMEN!*

Memo-

Memorabiles
hi
Reformatorii Conſtantienſis
DECRETALES
De priſtini
Eccleſiaſtici Status
Emendatione
Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium
Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
Ex antiquiſſimo Codice
MSCto
Auguſtiſſimæ Bibliothecæ
Cæſareæ Vindobonenſis
A. M DC XCVII.
menſe Januario
in Academia Julia
In Germanicæ hiſtoriæ
decus eruti,
Imperante Cæſare
LEOPOLDO
SEMPER AUGUSTO.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf